


Mb. 14.



D. GEORGII FRIDERICI SEILERI

OPVSCVLA
THEOLOGICA



COLLECTIO PRIMA.

ERLANGAE
CLO CC LXXXIII.






Quas lecturis trado de rebus sacris commenta-
tiones, Academiae nostrae magis quam orbi lit-
terario scriptas, tanti equidem non aestimaue-
ram, ut in lucem denuo emitterentur. Cum au-
tem essent, qui singulas desiderarent, exempla-
rium penuria tandem amicis nonnullis, quorum
auctoritas plurimum apud me valet, praebuit
occasione*m* consilii suppeditandi, ut, delectu
habito, aliquas prelo secunda vice submitterem.
Feci igitur periculum hac prima collectione, in
qua adornanda non temporis, quo scriptae te-

—————

primum publicatae sunt, sed argumenti habui-
rationem; has, si sentiam, non ingratis esse
harum litterarum amatoribus, alterum sequetur
spicilegium, quo, quae de Psychologia s. in libel-
lis minoribus per occasionem scripti, cum nonnul-
lis aliis dissertatiunculis coniuncta, subinde aucta
et emendata, complectar. Scrib. Erlangae mense
Augusti MDCCCLXXXIII.



CON-

CONSPECTVS.

	pag.
I. De vaticiniorum causis atque finibus.	
Sectio I.	5
Sectio II.	32
Sectio III.	64
Sectio IV.	84
II. De regni a vaticibus diuinis Messiae ipsiusque populo promissi vera natura atque indole.	
Sectio I.	105
Sectio II.	132
III. De diuinis notionibus cogitationibusque ab hu- manis, in interpretandis vaticiniis, caute discernendis.	163
IV.	

Pag.

IV. De vaticiniorum, vniuersam aliquam temporis
periodum complectentium, iusta interpre-
tandi ratione.

Sectio I.

199

Sectio II.

234

V. De argumento quodam ad religionis reuelatae
veritatem comprobandam ex Dei veri cul-
torum victoria petendo.

271

VI. De Christo omnium rerum domino et gubernatore.
Ad loca N. T. Ephes. I, 10.
Matth. XXVI, 64. et Eph. IV, 9. 10.

311

Wer dieses Buch unmittelbar aus der Bibelanstalt
nimmt, erhält diesen ersten Theil für 10 Ggr., im rheinischen
Gelde 40 kr. Auf Schreibpapier aber 14 Ggr. oder 56 kr.
rhein. Bey 10 Exemplaren das eilste frey. Buchbändler
setzen den Preis nach ihrem eigenen Ermeffen.


Bibelanstalt.


I.

I.

DE

VATICINIORVM CAVSSIS
ATQVE FINIBVS.




Quae nobis tradita est a diuino huma-
ni generis redemptore doctrina, suis
quanquam ipsius fundamentis internis firma
stat et inconcussa; quippe quae veritatis
suae vi et efficacia in vniuerso fere ter-
rarum orbe fructus edat praestantissimos
saluberrimosque, quorum recto usu et
curatori consideratione omnes, qui ex
effectu rerum cauſas cognoscere didice-
rint, conuinci queant, eam nec erroris
esse foetum, nec animi humani figmen-
tum, piis olim fraudibus iudeis primum,
deinde et gentibus commendatum: ob
alias tamen multas grauesque cauſas vti-
lis non modo vniuersae ecclesiae, sed et
ob errantium multitudinem et ob ingens
periculum, in quo quorundam, iuuenum in-
primis, litteris humanioribus et doctrinae
studiis consecratorum, animi versantur,
necessaria esse videtur repetita argumen-

A 2

torum,

torum, quibus religionis christianaæ veritas probari solet, præcipuorum perlustratio et confirmatio. Ad haec potissimum referenda sunt, quae a *vaticiniis* deriuantur argumenta. In ea enim incidimus tempora, quibus a multis, iisque eruditionis laude exornatis viris, omnis vaticinationis vis atque veritas tolli videatur, quod etsi veritatem ipsam, (vt multi autumant iusto formidolosiores theologi,) non destruat, tamen non est ferendum eam ab causam, quod eiusmodi conatus reuelationis diu. auctoritatem debilitent, multarum mentes conturbent atque fidem, doctrinis sanctioribus et historiae sacrae debitam, labefaciant. Eo enim processit quorundam eruditorum temeritas, vt vates diu. inter atque haruspices et augures gentilium nullum fere faciant discrimen. Alii quidem prophetis Israelitarum vim quandam, futura praesentiendi concedunt, sed naturalem fuisse animorum sagacitatem, statuunt. Animis enim humanis, credunt, inesse eam facultatem, vt siue somno profundo sopiti et
quasi

quasi a corporibus seiuncti, futura non-nunquam cernant, siue furore quodam correpti aliquatenus praeuideant. Moderatius iudicant hac de re illi, qui prophetas Israelitarum viros fuisse censem, pietate non modo, sed et eruditione prudentiaque aequales suos longe praestantes, qui sua sponte reipublicae inservierunt, regum consilia dirigendo et populum, a veritatis et virtutis trahente declinantem, in rectam viam reducendo. Cum autem intellexissent isti prophetae, ad hunc finem consequendum futurorum, siue malorum, siue bonorum euentuum praedictionem magnam vim habere, hoc etiam adminiculo vlos esse, idque eo saepius feliciter adplicasse, quod ex libris Mosaicis sciuisserent atque experientia compertum habuissent, genti sua legi diuinae neglectum perniciosum fore, obedientiam vero, dei praeceptis praestitam, salutarem. Omne igitur vaticinandi negotium naturae contineri finibus, nec esse in eo, quod extraordinario dei auxilio et peculiari spiritus s. operationi ad-

A 3

scri-

scribendum sit. De vaticiniis autem, futurum Messiam describentibus, conclamatum esse, aperte pronunciant non pauci. Contendunt enim, esse omnibus gentibus commune hoc, ut meliora tempora sperrent; gentis autem Iudaicae fastum fuisse tantum, ut facile sibi persuaderet, meliorem esse Abrahae progeniem omnibus ceteris terrae familiis, deoque vnicē dilectam; hanc ipsam ab caussā Iudeos spēm aluissē, fore, ut, ceteris orbis terrarum gentibus, tandem aliquando superatis, summo potiantur et vniuersali imperio. Huic spei fanaticae Christum et apostolos sermones suos attemperasse.

Quot et quam pernicioſae dubitatiōnes, ex his aliisque opinionibus natae, nostra aetate circumferantur, breui vix dici potest. Quae res et hoc habet incommodi, ut ob vaticiniorum contemtum, librorum propheticorum studium negligatur. Quo maior autem oraculorum diuinorum ignorantia, eo pronior animus est ad *antīstatu*, ad scepticismum, ad erro-

erroneam illam et instabilem cogitandi rationem, Christum fuisse philosophum prudenter, qui, sacris Iudeorum erroribus fundamenti loco positis, doctrinae suae aedificium callide superstruxerit.

Operae igitur pretium esse videtur, ante omnia vaticiniorum *veras rationes* accuratius indagare, eorumque *fines* quaere-re, ut patefiat omnibus, qui in hoc veritatis argumentum animum intendere ve-lint, quam sapienter deus humani generis saluti prospexerit, cum futuros euen-tus viris quibusdam indicaret.

Sunt autem huius commentationis capita duo; primum continet *rationes*, seu *causas* et *fines* vaticiniorum, *communes* et *uniuersales*, secundum *peculiares oraculo-rum futurum Messiam ipsiusque regnum praefigificantium.*

Prima quidem causa, ob quam deus hominibus futuros quosdam euentus praefigicauit, esse mihi videtur id ipsum,



ut intellegent, *existere deum*, qui prouidentia res humanas dirigeret, a cuius munificentia acciperent, quidquid boni haberent, et qui mala immitteret improbis. Hanc salubrem hominibus et pernecessariam summi imperii diuini notitiam, non solis quidem rerum contingentium futurorum praedictionibus, at in primis tamen earundem auxilio hominibus oblatam et impertitam esse, validis, ex historia sapientis, rationibus probari posse, censeo.

Hoc quidem tanquam verum et ab omnibus concessum supponi posse, existimo, deum, pro summa sua sapientia, qua humanae infirmitati se accommodare solet, numinis sui et prouidentiae documenta eiusmodi hominibus dedit, quibus percipiendis quoquis tempore pares essent et apti. Antiquissimos autem homines sensibus magis, quam ratione usos esse in rebus contemplandis et caussis earum inuestigandis, vltro conceditur ab omnibus, qui naturae humanae notitiam habent penitorem. Primos enim terrae
in-

■ ■ ■

incolas ex coeli adspectu, philosophorum more, intellexisse, esse aliquod numen, huius vniuersi creatorem et rectorem supremum, nec argumentis certis probari potest, nec vero est simile. Qui hoc contendunt, ex nostra cogitandi ratione metiuntur primorum hominum infantiam, quod, quam ineptum sit, nemo non videt.

Admirabilem enim coeli fabricam, so-
lis atque stellarum ambitus post multo-
rum demum annorum delapsum, et post
repetitas fiderum obseruationes cognoscere
poterant homines et eorundem contem-
platione in suspicionem adduci, esse ali-
quem conseruatorem et rectorem huius
vniuersi. Terram quidem, oculis cerne-
bant, fructus edere, et animalia homi-
nesque alere; vtrum vero terra ab uno
Deo, sol, luna et stellae ab aliis diis for-
matae fuerint, hoc iis non adeo aperte
constabat, vt ab errore, qui multos deos
statuit, immunes seruarentur. Huius rei
argumentum habemus firmum atque ab
omni dubitatione remotum. Notum enim

A 5

est



est ex historia antiqua, non modo homines singulos atque familias, sed gentes omnes statuisse, plures esse deos, eosdemque a mortalibus colendos. Ne philosophi quidem vnius veri dei eiusmodi habebant notitiam, vt ab omni idolatria sibi cauerent. Alios autem, eosque eruditos homines, mundum esse animatum et ipsum deum, censuisse, ex Ciceronis *de Natura Deorum* libris notum est (Lib. II et III.) Animum humanum sua sponte primum esse ad plures deos colendi vitium, vel maxime inde colligitur, quod gens israelitica nec reuelationis lumine, nec miraculorum vi, nec poenarum diu sensu eo adduci poterat, vt a deorum plurium cultu penitus absisteret. Ex his omnibus efficitur, primos homines, nisi peculiari auxilio diu. fuissent subleuati, siue nullam dei *vnius*, siue erroneam habituros fuisse notitiam. Quod si vero esse coeli terraeque *vnum* creatorem et rectorem ex ipso rerum visibilium adspectu intellexissent, hac tamen notitia nondum effectum fuisset id, vt (omni reuelatione super-

supernaturali destituti) de prouidentia diu.
singulari fierent certi. Longo enim re-
rum vsu et multa experientia opus est,
vsque dum animus humanus confirmari
possit in hac vera sententia, a diuina ali-
qua natura sapienti, bona eaque sancta et
iusta genus humanum gubernari et omnium
rerum creatarum vicissitudines ita dirigi,
vt tandem aliquando bonis bene, malis
male futurum sit. Haec veritas, quae in
omni vera religione constituenda funda-
menti loco ponenda est, visionibus qui-
busdam et Dei adpartitionibus ita tradi-
non poterat hominibus illis, vt nullus
plane dubitandi locus relinqueretur. Fac
enim, deum illis se visibilem praebuisse,
siue lumine quodam, siue forma et voce
humana; vnde constabat, hac in forma
esse deum, illumque unicum huius uniuersi
auctorem? Factis opus erat, non tantum-
modo formis et visionibus et verbis. Ipso
animi sensu, experientia et intelligentia,
homines erant conuincendi, se illius dei
imperio subesse, qui sibi notitiam aliquam
iis impertierat. Atqui hoc ut sentirent
et

et penitus intelligerent, effecit deus *praedictionibus rerum futurarum, quibus euentus respondebat.*

Affertum hoc confirmare possemus exemplis ab ipsis generis humani incunabulis petitis. Cum autem primorum I. lib. Mosaici capitum sit multiplex et quodammodo incerta interpretatio, praetermissis rerum hum. primordiis *), ad Noachi tempora properemus. Si deus sine praeuia diluuii futuri significatione primos terrae incolas, Noachi coaeuos, aquae fluctibus dele-


*) Licet stilo poetico scripta sit originis generis hum. et peccati primi historia, veritas tamen imaginibus illis inclusa esse videtur, deum praedixisse hominibus primis mala quaedam futura, si ab arbore quadam edissent; haec mala cum sibi imminere intellexerent, timere deum, suamque felicitatem in posterum ab ipsis voluntate expectare coepisse. Euentuum praedictorum experientia edocti sentiebant, se illius imperio subesse. Cumque unus, idemque se illis manifestaret, unum tantummodo deum esse, crediderunt.

deleuisset, homines illi perditissimi, omni pietate erga deum destituti, terribilem istam rerum conuersionem aquarum multitudini, pluiae continuitati aliisque caussis naturalibus tribuissent; ne Noacho quidem, quamuis probo et iusto, absque reuelatione diu. certo constitisset, hos fluctus a deo in peccatores esse immisso eam ob caussam, quod correctionem non admiserint. Terra enim cum illo tempore maximam partem aquis adhuc inuoluta esset, non raro accidisse credibile est, ut regiones quaedam aquis inundarentur. Quid mirum, si maris littoribus perfractis, vniuersae terrae pars aquis repleta esset? — Sed longe aliam de diluvio cogitandi rationem natam esse videmus ex *praedictione huius eventus*. Comprobauit enim deus hoc facto, se mortalium esse dominum et iudicem; suae potestati subiecta esse omnia elementa; se improbos delere, probos autem vi sua conseruare posse; se flagitorum esse vindicem et virtutis remuneratorem; praescire, quae ventura sint, non modo in terra, sed et in

in mari, in aëre et nubibus; ideoque se
coeli et terrae esse rectorem summum.
Quamuis igitur (quod admodum veri-
simile est), caussis in ipsa rerum natura
latentibus effectum sit, vt aquarum flu-
ctus terram deuastarent; tamen prae signifi-
catione huius euentus documentum im-
perii diuini et maiestatis ipsius supremæ
edebatur luculentissimum. Hanc dei no-
titiam in familiis Noachi diu conserua-
tam esse, antiqua historia testatur. Gen.
XIV, 18.

Cum autem, Abrahami aetate, fami-
liae quaedam deos plures colere incipe-
rent, prouidendum erat, ne ista vniuer-
sum genus humanum inficeret superstitio.
Hunc in finem deus Abrahamum selegit
ad conseruandam in hum. genere sui no-
titiam. Quibus igitur rationibus Abra-
hamum conuictum esse, deprehendimus, se-
non decipi imaginibus illis et somniis et
apparitionibus, quarum mentio fit in vi-
tae sua descriptione Gen. XII - XXII?
Quonam in primis argumento commotus
est,

est, vt diis, quos parentes ipsius colebant, posthabitis, alium deum et quidem *vnum*, venerari inciperet? Ad nouam hanc sentiendi et deum colendi rationem ducebatur inprimis rerum futurarum, ipse, antequam existerent, notificatarum, certo euentu. Quis enim, praeter deum verum, praeuidere poterat, Sodomam, Gomorrah, hasque circumiacentes reliquas vrbes die quodam certo et constituto, igne et terrae motu funditus perditum iri? Hoc si accidisset absque omni prae-significatione, quid Abrahamum, quid reliquos homines cogitatuos fuisse credamus? Nonne hoc: casum fuisse fortuitum; terrae motu conuersas esse vrbes, earundemque incolas extintos? Cum autem deus Abrahomo indicauisset, se oppida illa deleturum; cum, rationibus huius iudicii seueri explicatis, sanctitatis et iustitiae suae documentum se edere velle, declarauisset: nulla Abrahomo de veritate dubitandi caussa relictâ est; conuictus enim erat rationibus *sibi* satisfacientibus, deum, qui se ipsi visibilem prae-
buic-




buisset, esse creatorem et rectorem huius
vniuersi, omnium hominum iudicem, Gen.
XVIII, 25. Hanc summi numinis reue-
rentiam Abrahamum posteris suis inspi-
rasse, certum est. Intelligebat enim, hunc
ipsum in finem deum Sodomae interitum,
antequam accideret, ipsi indicasse, vt fa-
miliam suam in hac dei veri notitia in-
stitueret. Gen. XVIII, 19. Alterum ar-
gumentum, cuius virtute Abrahamo per-
suasum fuit, Deum, qui se ipsi visioni-
bus cognoscendum praeberet, vnum et
verum esse deum, erat promissio filii, a
Sara nascendi. Si enim Sara, Abrahami
vxor, absque promissione praeuia, anili-
aetate filium peperisset, mirabilis quidem
hic auditu et rarissimi generis futurus fuis-
set euentus, sed vim argumenti, ad de-
monstrandam dei summi existentiam validi
non habiturus. Vniuersae autem huius
historiae facies mutatur, intercedente di-
uina promissione. Praedixit enim deus
tempus, quo Sara ex Abrahami concu-
bitu grauida futura esset; praesignificauit
sexum infantis nascendi. Haec autem,
quam

quam contingentia, quam incerta, quam hominibus incredibilia fuerint, nemo non intelligit. Cum nihilominus acciderent, quid tum Abrahamum et eius vxorem, quid ceteros, quibus erat harum rerum aliqua notitia, cogitasse putemus? Nonne hoc, profecto ille deus verus est, qui potest facere, quae per naturam fieri non solent? Quis, praeter creatorem hominum ante scire et certis verbis declarare potest, vtrum puer, an filia nascentia sit? Profecto deus, deus unus verus est, qui talia promisit et promissa exhibuit. Haec argumentandi ratio illorum temporum et hominum indoli maxime erat accommodata.

Est videlicet in animo humano insatiabilis quaedam cupidus, futura praescendi, quae maxime in rebus incertis atque aduersis se exferit, cum mortales spe incerta excruciantur, vel timore et mali exitus formidine anguntur. Hac cupidine commoti sunt sine dubio multi, ut ipsi deum rogarent, velit, quae optima et

B

ad



ad salutem ipsorum suam in posterum maxime proficia sint, reuelare. Huius generis exempla multa sunt in historia sacra. Hac mente Abrahami seruus a deo petiit, vt signo certo ab ipso constituto, declararet, quamnam puellarum Isaaco destinauisset. Gen. XXIV, 13. Nec dubium esse videtur, saepius hoc esse etiam ab aliis hominibus factum. Atque ex hac animi persuasione *oraculorum originem* deriuandam esse, vero est admodum simile.

Cum niimirum homines intelligerent, deum Abrahamo aliisque futura quaedam praesignificasse, sua sponte in eam opinionem delapsi sunt, vt crederent, hoc etiam in aliis negotiis humanis futurum, si modo a deo peterent. Nisi me omnia fallunt, ex hac opinione nata est consuetudo, vt homines ad Abrahamum, vel etiam ad alium virum, prudentia et probitate conspicuum, se conferrent, illumque rogarent, velit deum precibus adire, vt fata ipsis futura, indicaret. Exemplum eiusmodi litteris mandatum est a Mose Gen.

Gen. XXV, 22. Alte iam inhaerebat il-
lorum animis infixa sententia haec, *deum
verum* illum esse, qui vera praeuidere et
certo praedicere posset. Atque pro tem-
porum indole, pro cogitandi more a pa-
rentibus tradito, aliter sentire non pote-
rant. Quia enim regimini diu. omnia
subiecta esse, recte credebant, praeter
deum, neminem per se ipsum, quid in
rebus, a prouidentia diu. pendentibus,
futurum, praedicere valere, iusta inde
ratiocinatione collegerunt.

Ingenii autem hum. ea solet esse in-
doles, vt in veritatis tramite non diu
pergat, sed variis de caussis, quauis oc-
casione data, ad errorem deflectat. Hoc
etiam factum esse in oraculis petendis et
exhibendis, ex humani generis annalibus
eruditorum cuius notum est. Gliscente
enim idolatriae superstitione, numero-
que deorum multiplicato, multiplicabatur
etiam oraculorum, diuinationum atque
vaticinationum numerus. In ea ipsa gen-
te, ex qua Abrahamus ortum traxerat,



diuinandi artes vel maxime floruisse, Ci-
cero testatur in libro de diuinat. L. I.
c. 1. L. II. c. 47. *) Chaldae posthaec
tantam ex diuinationis peritia famam asse-
cuti sunt, vt in ipsis sacris litteris illo-
rum nomine omnia praestigiatorum et va-
ticationum genera indicarentur. Nomi-
num enim Chaldaeorum et fatidicorum
vna est eademque notio in locis Dan.
II, 2. IV, 4. V, 7. Quae res indicio
est, diuinationum fictarum origines in
Chaldaea esse quaerendas. Non diu vero
Chaldaeae finibus haec superstitio inclusa
fuisse, sed, quod sit in rebus nouis et ad-
mirationem dignentibus, repente ad alias
gentes manasse, et totum denique terra-
rum orbem inundasse videtur. Habebant
enim antiquissimae omnium fere terrarum
familiae et nationes barbarae sua oracu-
la

*) Chaldaeos diuinationum et auguriorum au-
ctores et doctores fuisse, adeo peruvulgatum
erat apud antiquos, vt Julianus, im-
perator, Abrahamum contenderet eorundem
fuisse inuentorem. Vide Cyrilum aduersus
Julian. lib. 10. pag. 358.

la *); diuinandi autem artes infinitae erant, quod vel ex primo Ciceronis libro de diuinatione comprobari potest. Quae enim erat gens, aut quae ciuitas, quae non aut extispicum monstris, aut fulgurum interpretationibus, aut augurum, aut astrologorum, aut sortium, aut somniorum, aut vaticinationum praedictionibus moueretur? Quid fere erat in rebus, in sensus cadentibus, extraordinarium et insolens, quod non signum haberetur rerum futurarum, siue laetarum, siue tristium? Has autem euentuum instantium praedictiones non ad naturam solummodo

B 3

et

- *). Qui plura de hoc arguento legere cupiant, legant imprimis Ant. van Dale differt.
- 2. de oraculis veterum ethnicorum. ed. 2. 1700. — Hieron. Zanchium de diuinatione tam artificiosa, quam artis experte et Thomas Ernst de Astrologia diuinatrice Hanov. 1610. 8. — Reliquos, qui de Diuinationibus scriperunt, autores, recensuit Ioh. Albertus Fabricius in Bibliographia antiquaria Cap. 12. de diuinat.; qui alphabeti ordine centum circiter diuinationum genera enumerauit.



et humanam sapientiam, sed ad deos re-
ferre solebant, et hariolatores ipsi, et
omnes gentes idolatriae deditae. Illum
deum maxime coluerunt et sapientissimum
putauerunt, qui futura accuratissime pree-
dicere posset. Ab omnibus autem diis
id beneficium exspectasse, ut cultoribus
suis, quae salutaria, vel perniciosa futura
sint, signis et portentis quibusdam indi-
carent, cum ex omni nationum veterum
historia, tum vel in primis ex eodem Ci-
ceronis libro I. de diuinat. constat. Erat
enim gentium fere omnium sententia haec,
deorum prouidentia mundum administrari,
eosdemque consulere rebus humanis, nec
solum vniuersis, verum etiam singulis, at-
que eos etiam hominibus, id potentibus,
significare futura. Hoc, apud Ciceronem
in Libro I. de Diu. Cap. 36. Quintus,
frater, cum aliis philosophis, in primis
Stoicis, his rationibus confirmari posse
existimauit: „si sunt dii, neque ante de-
clarant hominibus, quae futura sunt; aut
non diligunt homines; aut, quid euentu-
rum sit, ignorant; aut existimant, nihil
in-

interesse hominum, scire, quid futurum
 sit; aut non censem esse suae maiesta-
 tis, praesignificare hominibus, quae sunt
 futura; aut ea ne ipsi quidem dii praesi-
 nificant possunt. At neque non dili-
 gunt nos; sunt enim benefici, generique
 hominum amici; neque ignorant ea, quae
 ab ipsis constituta et designata sunt; ne-
 que nostra nihil interest, scire ea, quae
 euentura sunt; erimus enim cautores,
 si sciemus; neque hoc alienum ducunt
 maiestate sua; nihil est enim beneficentia
 praestantius; neque non possunt futura
 praenoscere: non igitur sunt dii, nec
 significant futura: sunt autem; dii signi-
 ficant ergo: et non, si significant, nullas
 vias dant nobis ad significationis scien-
 tiam; frustra enim significant: nec, si
 dant vias, non est diuinatio: est igitur
 diuinatio." Hac ratione et Chrysippum
 et Diogenem et Antipatrum usos esse,
 Cicero in eodem loco refert, orationique
 fratris sui finem facit his verbis: "Quid
 est igitur, cur dubitandum sit, quin sint
 ea, quae (de diuinationibus) disputauit,




verissima, si ratio mecum facit, si euentu-
ta, si populi, si nationes, si Graeci, si
barbari, si maiores etiam nostri, si deni-
que hoc semper ita putatum est, si summi
philosophi, si poetae, si sapientissimi
viri, qui respublicas constituerunt, qui
vrbes condiderunt? an, dum bestiae lo-
quantur, exspectamus, hominum consen-
tiente auctoritate contenti non sumus?"

In hac igitur superstitione cum omnes
omnium terrarum gentes versarentur; non
solum quaevis ratio, vrbis, familia ex deo
suo, vel dea, quin ex lare suo, quid fu-
turum sit, sciscitari solebant; sed erant
etiam oracula quaedam reliquis praestan-
tia, quorum effata credebantur certissi-
mum habere euentum; ad quae confluxe-
runt homines ex regionibus circumiacen-
tibus et rebus incertis consilium petie-
runt. Nullum fere negotium graue in-
cipiebatur sine auspiciis; nihil neque in
republica administranda, neque in bellis
gerendis perficiebatur sine hac religione.
Si quis Romae sive augurium, sive Sibyl-
lae

lae vaticinia spernebat, aut oraculis latis
 minus obediebat, hominis impii, et pro-
 fani infamiam sibi consciuit; et si res,
 in qua gerenda religionem neglexerat, in-
 faustum habebat euentum, culpa quaere-
 batur in hoc, quod omina et deorum
 consilia spreuerisset. Reges et respuplicas
 vniuersas in longinquas terras oraculorum
 quaerendorum cauissa legatos misisse, quis
 nescit? Huius superstitionis erroribus anti-
 quos olim implicatos etiam fuisse Aegy-
 ptios, in quorum confortio familiae Iaco-
 biticae diu vixerant, et gentes Palaestri-
 nam incolentes, in quarum terram Israe-
 litae introducendi erant, historia et pro-
 fana testatur et sacra Deut. XVIII, 9.
 10. 11. Leu. XX, 6. Cauendum itaque
 erat, ne Israelitae oraculis illis fictis fidem
 haberent. Hoc enim si fecissent, numina
 gentium pro *veris* habituri fuissent diis,
 iisque cultum, vni vero deo debitum,
 praestitissent. His ex erroribus ut expli-
 carentur, illis demonstrandum erat, illum
 deum, qui Abraham se manifestauerat,
 et qui Mosen ad eos ex Aegypto liberan-


B 5 dos



dos miserat, esse supremum deum, omnium rerum effectorem et gubernatorem. Ne miracula quidem, portenta et monstra, quae deus in Aegypto edi iusserat, eam vim habebant, vt sola, per naturam suam demonstrarent, Iehouam esse vnum verum deum. Nam mala ista, quae deus Aegyptiis immisit, (Exod. VII. &c.), saepius euenerant, et naturae esse poterant effectus ordinarii et consueti. Certissimum igitur signum, vi cuius euentus illi terribiles a reliquis naturae euentibus se iungi et discerni poterant, erat euentuum praedictio seu *vaticinatio*. Hunc in finem deus malum quodus, antequam incideret, per Mosen et Aaronem Aegyptiorum regi et aulicis ipsius prae significari curauit, vt intelligeretur, non casu id euenisse, sed Iehouae consilio et potentia immisum. Ut autem Aegyptii cognoscerent, hunc Iehouam summum esse omnium rerum imperatorem, deus omnes quasi coeli et terrae vires, omnia elementa ad demonstrandam vim suam infinitam et admirabilem adhibuit. Aegyptii enim more aliarum

rum gentium singulis elementis deos singulos praefererant, aliumque credebant imperare aquae, alium ventis, alium terrae rebusque creatis in eadem existentibus. Hanc ob causam deus portentis atque magnis miraculis demonstrauit, se harum rerum cunctarum esse supremum dominum. Ne autem Aegyptiis dubitandi locus relinqueretur ullus, portentum quodvis, antequam ederetur, accurate *praesignificari* curauit. Diem non modo indicauit, quo poena, Aegyptiis infligenda, initium capture sit, sed nonnumquam etiam horam ipsam. Exod. IX, 18. Deinde tempus subinde designauit et horam, qua mala cessura sint, cap. VIII, 8 — 17. Ut inteligerent Aegyptii, deum etiam solis (quem ista gens cultu diuino maxime prosequebatur) creatorem esse et lumenis auctorem, constituto tempore tenebras obduxit vniuersae regioni; vita autem humanae dominum se comprobauit, cum nocte certa et definita primo genita omnia, reliquis hominibus animalibusque conseruatis, necaret. Sine dubio

euen-



euentus hos omnes Aegyptiorum philosophi naturae viribus tribuissent, nisi a Mose et Aarothe distinctis verbis fuissent praedicti. Sola hac futurorum praedictione ea, quae maximam partem naturae tantum viribus efficiebantur, miraculorum speciem induerunt et argumentum suppeditarunt, Israelitarum ingenio valde accommodatum, ad comprobandam hanc veritatem: *Iehouam non modo diis Aegyptiorum, ceterisque omnibus esse fortiorum, sed unum verum deum, totius mundi gubernatorem.* Exod. VII, 5. IX, 6.

Atque hac in animi certa persuasione confirmati sunt Israelitae eo potissimum tempore, cum iuxta maris Erythraei littora ab Aegyptiorum exercitu inclusi, e praesenti mortis summo periculo liberarentur. Nec hoc sine praedictione huius euentus futuri factum esse, constat. Aegyptiorum enim vim et exercitum metuentibus Israelitis et ad tumultum excitandum paratis, Moses: nolite, inquit, metuere; firmi modo subsistite et expecta-

Spestate salutem, quam Ioua vobis hodie
praestabit: nam quos iam videtis Aegy-
ptios, eos nunquam in posterum estis
visuri; Ioua pro vobis pugnabit! Promis-
sum hoc per Mosen auxilium cum Deus
Israelitis proxima nocte tulisset, nullum
in eorundem animis relictum fuit dubium,
quo illorum fides in Iehouam diutius
suspendi et labefactari potuisset. Viderant
enim oculis suis Iehouae potentiam ideo-
que *ipsum venerati sunt et fidem habuerunt*
Mosi, ministro suo. Exod. XIV, 13. Fir-
ma tunc animi persuasione et fiducia in
Iehouae suprema vi et potestate posita,
eius numen celebrando cantarunt: *Quis*
tibi similis est, o Ioua inter Deos? *Quis,*
vt tu, tanta sanctitate conspicuus, mira
praestans, laudandus? Hic est Deus
meus! *ipsius nomen Iehouah!* Exod. XV,
II. 23.

Restat argumenti primi altera pars, qua
ex antiqua familiarum Iacobiticarum hi-
storia probaturi sumus, eam, quam Israe-
litae animo conceperant in Iehouam fidem,

iiis-

iisdem euentuum futurorum praedictionibus et vaticiniis, quibus fundata erat, confirmatam esse et, cum ab eodem defecissent, saepius restitutam. Quoniam vero huius rei grauitas prolixorem desiderat singulorum momentorum expositionem, quam quae ab huius libelli angustia capi possit; hunc laborem in aliam, quae in feriis Paschatis proximis nobis suppeditabitur, scribendi occasionem differimus, addituri tunc plurimum caussarum, quibus nititur omnis vaticinatio, vltiorem explanationem, vt quiuis harum rerum aequus aestimator iusta lance argumenta ponderare valeat et intelligere, vera esse, quae Petrus scripsit: firma nobis est prophetica doctrina, in quam, recte facitis, quod animum intendatis &c. Non enim hominum voluntate editum est vñquam oraculum, sed sancti spiritus instinctu locuti sunt homines diuini. 2 Petr. I, 19. 21.

In hoc firme fidei fundamento vt animi vestri stabiliantur atque muniantur,
cariss-

carissimi Ciues! agite, considerate et hisce
festis diebus eam vitae domini nostri Iesu
Christi partem, quae vaticiniorum per
ipsum implendorum initia continet. Ce-
lebrate grato animo Dei clementiam at-
que summum in nos mortales amorem,
qui naturam suam aeternam et inuisibili-
lem, non tantum mirificis atque stupen-
dis operibus in hoc vniuerso condendo
oculis nostris conspicientiam praebuit, sed
ipsum filium suum doctorem nobis con-
stituit et salutis nostrarae sponsorem, vt
de ipsius benigna in nos voluntate docu-
menta haberemus certissima et ad omne
virtutis studium incitamenta efficacissima.
Hunc ad vitam beatam et sempiternam si
sequamini ducem, veram ipsius esse doctri-
nam, veras omnes dei promissiones, in-
telligetis! Scrib. in Regia Academia Fri-
derico-Alexandrina ipsis Natalitiis D. n.
I. C. cccxcii.

DE

VATICINIORVM CAVSSIS
ATQVE FINIBVS

SECTIO II.

Deum pro summa sapientia sua et admirabili *συναταξει* ad hominum, antiquis temporibus viuentium, sentiendi cogitandique rationem, rerum futurarum praedictionibus usum esse, ad demonstrandam et confirmandam veritatem, quae in omni religione et dei cultu, rationi consentaneo, stabiliendo, fundamenti loco ponenda est, unum esse huius vniuersi conditorem atque rectorem, a cuius igitur nutu pendet etiam vniuersa hominum salus atque felicitas, in prima, quam super hoc argumento scripsimus, commentatione,

com-

comprobauimus argumentis ex historia familiae Abrahamiticae petitis. Substitimus autem, quia argumentationis filius abrum-pendus erat, in medio huius historiae loco, videlicet in considerando Israelitarum per mare Erythraeum transitu, quem deus per Mosen eum in finem praesignificari cura-uerat, ut vniuersus, quem ducebat, po-pulus intelligeret, *Iehouam esse deum supre-mum*, Exod. XV, 11. 23. Pergamus itaque in explicanda huius argumenti alte-ra parte, ex eadem Israelitarum historia comprobaturi, fidem in Iehouam, quam conceperant, confirmatam atque corrobo-ratam esse iisdem euentuum futurorum praedictionibus, quibus in eorum animis data erat primum et fundata. Quia autem huius argumenti vis ducenda est ex histo-riae antiquae testimoniis; rogo, ut igno-scant mihi lectores proferenti r̄es ipsis inde iam a pueritia notas. Argumenti enim natura id postulat, nec est iniucundum, rerum in historia antiqua relatarum cauſas indagare multiplicemque dei, euentus illos moderantis, sapientiam scrutari et admirari.

C Quae.

* * *

Quaeritur itaque: quibusnam rationibus Israelitis, ex Aegypto liberatis, vltierius persuasum sit, *deum*, qui se Mofi reuelauerit, *unum et verum esse deum*. Tanta enim isti homines erant animi leuitate et inconstantia, praesertim in rebus ad cultum dei spectantibus, vt nouis quotidie fere argumentis opus esset ad renouandam in eorum mentibus fidem in Iehouam atque ad firmam fiduciam in ipsius auxilio collocandam. Deliberato enim animo deum saepius tentarunt, de ipsius potentia dubitando. Vindicauit nos Iehoua (dicebant) ex Aegyptiorum dominio, at, poteritne mensam in solitudine instruere? panem et carnem suppeditare suo populo? Ad has dubitationes ex animis eorum extingendas deus praedictionibus eiusmodi rerum futurarum usus est, quae nisi praedictae fuissent, ab Israelitis maximam partem iure meritoque in euentuum naturalium numero fuissent collocatae.

Magnam esse in deserto arabico arborum, seu potius fruticum copiam, mannae
sup.

suppeditantium vbertatem, omnes refe-
runt, qui loca ista visitarunt peregrinato-
res *). Quid cogitatueros fuisse censemus
Israelitas, si singulis diebus matutino tem-
pore mannam, roris instar per illas regio-
nes iacentem, deprehendissent? Sine du-
bio fructum hunc esse naturalem, siue
terrae, siue coeli, siue arborum et fruti-
cum vi prognatum. Qua igitur ratione
factum est, vt manna, (quae, vtrum a
diuina potentia modo mirabili procreata,
an naturae solius viribus nata sit, iam
non disquiramus) vim haberet argumenti,
comprobantis Iehouae summam maiestatem
et potentiam? Factum est hoc clara hu-
iis rei praedictione. Mandauit nempe
deus Mosi, Israelitis vt indicaret, se certo
quodam die nutrimentum, pani simile,
illis porrecturum et quidem tanta copia,
vt vniuersa gens saturari et conseruari
possit: *Mane*, inquiebat Moses, vos (If-
raelites) hunc die mibi doli
C 2 deo raeli-

*) Vide Tournefortii commentar. itiner. (Relation d'un Voyageur Tom. I. pag. 124.), Idem testantur Niebuhrius, Rauhwolfius, Neiduschützius, alii.




raelitae!) Iouis maiestatem estis visuri,
 Exod. XVI, 4. Cum igitur, die antea
 constituto, globulos mannae albos humi
 vbiq[ue] iacentes deprehenderent, atque
 nescirent, vnde sit, et quid esset; tum Mo-
 ses illis respondere poterat: Hic est ille
 panis, quem Deus vobis comedendum dedit.
 Ut nulla penitus in animis Israelitarum re-
 linqueretur dubitatio, nutrimentum hoc
 ipsis suppeditari peculiari prouidentia diuina,
 praedixit deus, sex tantummodo septi-
 manae diebus se mannam illis colligen-
 dam largiturum; septimo autem die, seu
 sabbato, eam in terra visum non iri, Exod.
 XVI, 24. Ne autem victus necessarius
 illis sabbato deesset, die sexto duplēm
 portionem colligendam esse praecepit atque
 promisit, hanc putredine non corruptum
 iri, sicuti reliquis septimanae diebus fieri
 solebat, Exod. XVI, 20. Haec quum
 omnia ita euenirent, sicuti per Mosen
 praedicta essent, argumento erant Israelitis
 certissimo, Iehouam esse deum illum, qui
 populum nutriret et ab interitu vindicaret.

Simile

Simile argumentum exhibuit coturnicu-
m, sub vespera eiusdem diei in Israelit-
arum castra missarum, certa et distincta
praedictio. Nisi enim ante, quam hoc
fieret, a Mose Israelitis annunciatum fuis-
set, harum auium infinitam copiam ven-
torum impetu casu fortuito ad has regio-
nes propulsam esse, non sine probabili-
ratione censuissent. Ad hanc falsam opi-
nionem remouendam opus erat euentus
illius praedictione, vt intelligerent Israe-
litae, Iehouam ventorum, volucrum et
ceterorum animalium gubernatorem, ex-
hibere posse omnia, quae futuris etiam
temporibus ad populi sui conseruationem
et salutem promouendam sint necessaria.

Aqua in deserto Arabico deficiente,
atque Israelitis potum potentibus, Deus,
absque praeuia huius rei significatione,
siue terrae motu, siue alia quauis ratione
efficere potuisset, vt petra aliqua rupta
subterranei fontes ad ea loca dirigeren-
tur, vbi ad sitim hominum et animalium
restinguendam desiderabantur. Quotus-

C 3 quis-



quisque autem Israelitarum ex eiusmodi
eventu didicisset, Iehouam esse vnum et
summum deum? Saepe enim accidit, vt
terrae motibus, aut alio casu improviso,
noui fontes nascantur. Ut igitur aquarum
ex petra proruptio eam haberet vim, vt
inde Iehouae, dei veri, maiestas intelligi
posset; Moses, illius iussu, coram vniuers-
so Israelitarum coetu ad petram stetit at-
que, solennitate quadam adhibita, virga
sua petram percussit eum in finem, vt
aquaee abundantia, ex eo ipso loco effusa,
indictum esset certissimum, dei hoc munus
esse, inter Israelitas operantis et habitan-
tis. — Ad huius rei memoriam sempiter-
nam Moses loco isti nomen dedit *Massa*
et *Meriba* propter altercationem Israelita-
rum, dictitantium: *estne Iehoua inter nos?*
Exod. XVII, 7.

Mirificus fuit et terribilis familiarum
Korachi, Datanis et Abirami rebellantium
interitus; sed quid credimus Israelitas cen-
fuisse, si hoc factum ex improviso acci-
disset? Numne Iehouae numen supremum
per

per tristem horum hominum casum comprobatum fuisse, credibile est? Euentu autem ab ipso deo disertis verbis praedicto, terraque iis ipsis locis, quibus rebellantium tentoria posita erant, discissa, omnes, quibus erat aliqua harum rerum diiudicandarum facultas, intelligebant, Iehouam esse terrae conseruatorem, hominem iudicem, malefactorum vindicem sanctissimum. Deum in Israelitarum animis hanc sententiam gignere voluisse, patet ex loco Num. XVI, 28. etc. Ita enim Moses: ex eo, inquit, facto intelligetis, Iehouam me misisse; si Iehoua insoliti quid fecerit, ut terra dehiscens illos homines deglutiatur, cognoscetis, eos *Iehouam* (verum deum) contempsisse.

Israelitarum, fame et siti laborantium, fidem titubantem deus denuo confirmauit, cum per Mosen illis notum fecit et promisit, omnes anguium mortuorum vulneratos sanatum iri, qui fide in Iehoua posita anguem aeneum in ligno suspensum adspexerint Num. XXI, 7—9. Potuisset deus, si


C 4 ipsi



ipſi placuiffet, absque medicina et signo
externo adhibito, omnes ab interitu fer-
vare; ſed eiusmodi beneficio, fine pree-
dictione reſtitutionis futurae, fides illorum
parum fuiffet adiuta. Cum autem Moſes,
ad dei mandatum, bafilifcae formam
aeneam, perticae imposita, vulneratos
adſpicere iuiffet, promiſſione adiecta, om-
nes, qui fide in Iehoua poſta, hoc feciſ-
ſent, sanitatem recuperaturos eſſe: vniuer-
ſus populus intelligebat, a Iehoua, vero
deo, petendam eſſe vitam atque ſalutem.

Sed plura ſunt huius generis exempla,
quam ut breui ſermone commemorari poſ-
ſint omnia. Vnum igitur adhuc his ad-
dam et quidem eiusmodi, quod ad vniuer-
ſam gentis Israelitiae felicitatem pertinet.
Promiſit deus Israelitis, ſe, quam diu in
cultu ſuo et legibus obſeruandis perſeuera-
turi eſſent, illos ab hostium potestate li-
beros, in terra Cananitica ſaluos fofpites-
que feruaturum; ſi autem a Iehoua deſice-
rent, eos a gentibus aliis ſubactum et e
terra ſua in exilium abactum iri. Cum
dein-

deinceps, quae deus in Mosis orationibus
 iisdem minatus erat mala, Israelitis toties
 euenirent, quoties idolatriae se dede-
 rant; omnes profecto, qui animo attento
 vaticinia considerabant, non poterant non
 inde colligere, Iehouae edicta esse vera,
illumque solum esse colendum et adorandum.
 Hanc fuisse Israelitarum cogitandi et argu-
 mentandi rationem, ex omnibus fere lib-
 ris V. T. historicis probari potest. Vnum
 tantummodo adiiciam locum, verbis ex-
 pressum, ex libro Iudicum II. com. 12.
 13. 14. Postquam Israelitae, relicto Ie-
 houa, deastros colere inceperant, deus
 illos tyrannis diripiendos tradidit et finiti-
 mis hostibus ita subiecit, vt eis resistere
 non possent; quounque enim exibant,
 Iouae manum infestam habebant, *vt ipse*
Iehoua (Deuter. XXVII.) *praedixerat*, *futu-*
rumque iurauerat. Hoc, cum non tantum
 una vice, sed saepius et semper pari modo
 eueniret, diurna experientia tandem
 prudentiores, certo persuasi sunt, Iehouam
 esse omnis salutis auctorem et restaurato-
 rem. Hoc veritatis argumentum Israelita-




rum animo erat valde accommodatum; ad id ipsum enim constituta et formata erat gens Israelitica, ut veri dei cultus per eam conseruatus, tandem cum aliis nationibus communicaretur. Hanc ob caussam constituenda erant externa quaedam signa, ex quorum adspectu intelligeretur, Iehouam, quem colerent, omnis felicitatis esse auctorem. In hac animorum persuasione eo magis erant confirmandi Israelitae, quod gentes ceterae statuerent, a diis deabusque suis agrorum fertilitatem, belli victoriam, ceteraque exspectanda esse omnia, quibus beata vita et reipublicae salus continetur. Hac erronea opinione Iudeos etiam deceptos esse, cum ex vniuersa huius gentis historia, tum ex multis librorum propheticorum locis intelligitur, quorum vnum ex Ier. Cap. XLIV, 14. etc. commemorasse sufficiat. Mulieres enim prophetae, easdem ad dei veri cultum exhortanti, "ex quo, responderunt, intermisimusadolere *reginae coelorum* (lunae) et libamina ei adferre, inopia laboramus et gladio et fame conficimur". Ad hanc fal-

falsam persuasionem Israelitarum animis eripiendam , quid accommodatius , quid efficacius excogitari poterat , quam eiusmodi rerum externarum directio , qua Israelitae edocerentur , Iehouam esse omnis libertatis et salutis auctorem , populum autem , qui ipsum vnicē colat , victorem fore et felicem ?

Praeter has promissiones et minas universam gentis , siue salutem , siue miseriam praesignificantes , deus saepius in rebus singulis , quid euenturum sit , variis modis indicauit . Et quidem , theocracia durante , vsu instrumenti et instituti illius , quod *Vrim* et *Thummim* nomen gerebat , praesertim quid in rebus ad bellum et pacem spectantibus euenturum sit , declarauit , vt Israelitae argumentum haberent prouidentiae suae manifestissimum *). Cum autem

deus

*) Huius oraculi rationem et veri , per illud sciscitandi , modum peculiarem et si ignoramus , hoc tamen compertum habemus atque certum , fuisse instrumentum quoddam cum facer-



deus intelligeret, huius oraculi vsum per-
petuum Israelitis non fore proficuum, il-
lumque abolendum constituisset, peculia-
rem instituit prophetarum ordinem eum pot-
issimum in finem, ut populum Israeliti-
cum, ad idololatriam maxime procluem,
hac

sacerdotis vestimento, cui *Ephod* nomen
erat, coniunctum, quo Israelitarum proce-
res vti solerent in rebus incertis cum ad
confilia a deo petenda, tum ad retegenda
occulta ea, quae alia ratione exquiri non
poterant. Erant apud ceteras gentes eius-
modi oraculorum genera multiplicia, inter
quae eminebat illud, quod a *Theraphim*
duci posse putabant, cui I. Spencerus Israe-
litarum *Vrim* et *Thummim* simile fuisse,
censuit (*De legibus Hebraeorum Ritualibus Diff. VII.*). Sed a vero propior abesse
videtur b. Michaelis sententia, comparantis
hoc oraculorum genus omne veterum *forti- bus* (Versione bibliorum vernacula Tom. III.
pag. 89. in notis ad Exod. XXVIII, 30.).
Quicquid sit, hoc tamen verum manet,
Deum hac in re adornanda, Israelitarum in-
genio se attemperasse, illisque *verum ora-
culum* constituisse eum in finem, ut a *falsis*,
quibus adsueti erant, et *filiis* arcerentur.

hac a gentium superstitione reuocaret.
 Propter hanc caussam saepius interdixit
 Israëlitis, ne in rebus incertis consilia pe-
 terent a ceterarum gentium oraculis, va-
 tibus, haruspicibus, hariolis et auguribus,
 Deuter. XVIII. Cui interdicto promissio-
 nem adiecit Moses hanc: *Prophetam vobis*
excitabit deus e vestris popularibus mibi simi-
lem, hunc audiatis. Non de uno, sed de
 omnibus prophetis, Mosen per multa fae-
 cula sequentibus, haec verba interpretanda
 esse, dubio caret *). Loquitur enim Mo-
 ses de legatorum diu. genere eo, quo Is-
 raelitae abs hominibus fatidicis, auguribus
 et hariolis quoquis tempore retinendi erant
 et coercendi. Hoc vel inde patet, quod
 Mo-

*) In hoc loco interpretando duplici modo pec-
 cant doctores; veteres in eo, quod eam
 tantummodo ad Messiam restringunt et fines
 argumenti iusto arctiores faciunt; recentio-
 res in eo, quod Messiam penitus excluden-
 dum esse, sentiunt. Saepe miratus sum,
 qui fieri possit, ut viri eruditi non videant,
 de *maximo et summo vate dinino* vel inpri-
 mis agi in eo loco, in quo de *omnibus pro-*
phetis, Mosen sequentibus, sermo sit.

Moses com. 21. et 22. *notas certas* constituit, quibus probe consideratis et exhibitis falsi prophetae a veris discernendi es-
sent; atque ex his ipsis notis non modo,
quid sit propheta et qualis esse debeat, sed
etiam quaenam in vniuersum sint *causae*
et *fines* vaticiniorum intelligi potest.

Primum indicium veri prophetae erat,
si Iehouam, *vnum verum deum* adorandum
et colendum esse, statueret. Quodsi enim
quis aliorum deorum nomine oracula pro-
tulisset, eosdemque colendos statuisset,
suppicio fuisset afficiendus, Deut. XVIII,
22. Ex quibus verbis patet, veros dei
prophetas eum ipsum in finem fuisse Israe-
litis missos, vt Iehouam summum esse
deum verbis suis et factis comprobarent.
Hoc vt fieri posset, deus illis saepius no-
tas fecit res, siue futuras, siue adeo oc-
cultas, vt hominum nullus eas praeuidere,
aut detegere posset. Erat itaque *nota al-*
tera, cuius ope veros prophetas a falsis
discernere poterant Israelitae, his verbis a
Mose definita: " *Fortasse quaeritis, unde*
cog-

cognoscatis, prophetam non ex auctoritate Iehouae loqui? Respondeo: Si propheta nomine Iehouae aliquid praedixit, neque hoc euenerit, res non est a Iehoua praedita. Deut. XVIII, 22. Quod si igitur praedictioni euentus respondebat, colligebatur inde iusta cogitandi ratione, virum illum verum esse vatem diuinum, verum itaque legatum veri dei; atque hac in animi persuasione confirmabantur Israelitae eo magis, quod multi vates res contingentes futuras claris atque distinctis verbis saepius praedicerent. Harum rerum futurarum duplex potissimum erat genus. Aliae erant ita comparatae, ut, et si easdem hominum nullus naturali animi sagacitate praesentire posset, non multo tamen post, quam prae significatae erant, euenirent. Alterum genus erat rerum, siue post longum aliquod tempus, siue etiam post multa demum saecula futurarum.

Primi generis praedictiones necessariae erant *primum* ad imbuendum sensu propheticō ipsius vatis animum eundemque confir-



firmandum in certa persuasione, se esse a deo ad oracula edicenda constitutum, deinde ad fidem vati faciendam apud eos, quibus dei auctoritate debebat siue boni aliquid promittere, siue infausta quaedam ominari. Has causas, hos fines vaticiniorum fuisse, docet historia singulorum prophetarum. Vnde nam enim, ut ab hoc exemplo ordiamur, Samuel propheticarum praeuisionum plane ignorans et expers, scire poterat, sibi futura quaedam a deo reuelari? — Quid? si Eli filii in ea, quam passi sunt Israelitae, clade non interiissent, censemusne Samuelem crediturum fuisse, sibi a deo, quae futura sint, patefacta et oraculo communicata esse? Cum autem mox euenirent, quae illi vox diuina praedixerat, ipse animo fuit persuasus et rationibus certis conuictus, se dignum a deo existimatum esse, qui ad Moysis exemplum prophetae munus in Israeлитis gerat. Deinde et alterum secutum est; vniuersus enim populus sensim sensimque ducebatur in hanc opinionem, illum esse vatem a deo ipso constitutum:

tutum: auctoritate crescebat Samuel, fauente Iehoua, neque ullum eius dictum irritum factum est, innotuitque omnibus Israelitis, Samuelem esse verum vatem, 1 Sam. III, 19. Ex hoc tempore ad ipsius oraculum uersa Israelitarum gens confluxit, multosque per annos usque ad ipsius vitae exitum ab eiusdem ore peperit.

Illo autem mortuo deus alios excitauit viros ipsi et Mosis similes, inter quos Nathan eminet, qui certe plura oracula edidit, quam in litteris sacris consignata sunt. Maxime quidem memorabile erat illud, quod auctor libr. II. Samuel. cap. XII. refert, filium Dauidis et Bathsebae primum genitum moriturum. Hoc ipsius effatum cum tristi euentu comprobatum esset, si dem ipsius verbis Dauides habuit, creditque omnia, quae de regno sempiterno illi vaticinatus est, 2 Sam. VII. Hunc excipiebat Gad, qui Dauidi, numeratione Israelitarum perperam facta, poenas diuinias iussu Iehouae portendebat, atque ut eo certius constaret, a deo malum futu-

D rum

rum infligi, poenaeque diuinæ habere rationem, optionem Dauidi reliquit, vtrum velit suis in finibus per septem annos fame laborare terrae incolas, an ipse tres menses ab hostibus suis fugari, an denique tribus diebus peste affici subditos suos 2 Sam. XXIV, 13. Ne vlla denique dubitatio relinquatur, prouidentia diu. ita gubernante, malum hoc Israe-litis fuisse immissum, *constituto tempore*, precibus a Dauide fusis, pestem desitaram praedixit com. 18. Vatem Gad sequutus est Ahia, qui Ierobeamo, symbolo quodam, pallio videlicet suo in duodecim partes diuiso, praesignificauit atque verbis distinctis declarauit, ipsi *decem* tribus Israe-litarum adhaesuras, seque ipsius imperio subiecturas, quod profecto nemo mortaliū tam accurate numeroque definito praeaugurari poterat. Alius deinde, cuius nomen expressum non est ab auctore libri I. Regum, propheta Ierobeamo imaginum cultum in Beth El instauranti praedixit, altare nouum, ab ipso exstructum, ruptum et cinerem ei impositum effusum iri. Quod,
quum

quum repente factum esset, argumentum erat Israelitis, hunc virum esse verum vatem a deo missum, in qua animi persuasione miraculis quibusdam confirmabantur,
I Reg. XIII, 6.

Eodem fere tempore rerum futurarum praedictionibus viros quosdam comprebasse, se vates esse diuinos, intelligitur ex locis I Reg. XIII, 11. XX, 22. Ahiae autem auctoritas adeo creuit, ut regis Ierobeami I. vxor ipsa ad illum, Silunte habitantem iter faceret, sciscitatura, quid filio suo, morbo graui laboranti, euenturum sit? Quae, cum responsum ab illo ferret, filium moriturum *eo ipso momento*, quo pedem urbi Thirzae illatura sit, intelligere poterat, vatem vera edixisse, ideoque Iehouam, qui ipsi hoc reuelauerit, verum esse deum, I Reg. XIV. Non diu post propheta Elia inclaruit I Reg. XVII. ex cuius effatis factisque, omnibus notis, pauca tantum exempli loco in medium proferam, vt quinam fines omnis vaticinationis fuerint, iisdem breuiter consideratis, intelligatur. Huius vatis aetate

D 2 vniuer-

❧ ❧ ❧

vniuersum fere regnum Israeliticum idolo-latriae superstitione infectum fuisse, constat. Huic igitur malo vt medicina admo-veretur, deus propheta vsus est, Moysi simili; cuius oracula euentu statim comprobarentur. Hac enim potissimum ratione Elias demonstrauit, Iehouam verum esse et vnum deum. Constituit videlicet hoc signum: *illum esse verum deum*, qui igne a coelo demisso sacrificium, in altari positum, incensurus et absumenturus esset, 1 Reg. XVIII, 24. etc. Praedixit regis Ahabiae obitum, huic vaticinio adiiciens verba: *Nullusne deus genti est Israeliticae*, vt rex legatos mittat ad Baalsebub, deum Ecroniticum? 2 Reg. I, 6. Praedixit necem quinquaginta virorum igne absumentorum his verbis: Si ego sum seruus *dei*, (si *Iehoua verus est deus*) fulguribus absumentur milites quinquaginta; 2 Reg. I, 10. Praedixit, Naeman, lepra infectum, aquis fluminis Iordanis lotum, hoc morbo liberatum iri. 2 Reg. V, 10. Praetereo reliqua in vulgus nota.

Quod autem hac in re vel in primis
considerari meretur et ad fidem faciendam
maxi-

maximam habebat vim, est id, quod deus,
 quum futura praedici curaret, certum
 modum, certum tempus, certos annos,
 quin dies, et horas ipsas, quibus aliquid
 euenturum esset, nonnunquam definiri
 iussit. Hoc eum in finem fecit, ut omnes
 intelligerent, res praesignificatas non casu
 fortuito accidere, sed a sua prouidentia
 constituta, sicuti praedicta essent, etiam
 fieri. Eliam temporis momentum definiti-
 uisse, quo regis Ierobeami filius moritu-
 rus esset, iam commemorauimus. Simili
 ratione tempus et horam determinatam
 praenunciauit, qua deus pluuiam, quam
 precibus suis efflagitauerat, missurus sit,
 1 Reg. XVIII, 44. etc. Cui exemplo et
 Elisei, frumenti copiam repentinam praesi-
 dicentis adiiciendum est, 2 Reg. VII, 1.
 etc. Praeter Eliam et Eliseum alios etiam
 vates illius aeui simili modo certa futuro-
 rum euentuum tempora a deo constituta
 praedixisse, intelligitur ex loco, 2 Reg.
 IX, 1. etc. Iesiae oracula certa tempo-
 rum ratione definita omnibus nota sunt,
 Ies. VIII. Cap. XXII. 2 Reg. XIX, 29.
 etc. Nec illud hic praetereundum esse


D 3 censeo,



censeo, quod apud Ieremiam legitur cap. XXVIII. Hananjam impostorem, prophetae diuinè speciem mentientem, non multo post, quam nomine Iehouae ficta protulerat oracula, moriturum esse. Quibus in oraculis recensendis et illud praetereundum non est, quod cap. XLIII, 9. 10. retulit: regem Babylonis Nebucadnezarem positurum solium suum super lapidibus quibusdam, quas Ieremias de iussu loco certo in vrbe Daphne abscondiderat.

Peculiarem considerationem mihi videtur mereri consensus plurium prophetarum in remotis locis degentium, resque easdem futuras eodem tempore uno quasi ore praedicentium, non, ut mala praetisa auerterentur, sed *vnam ob hanc rationem*, *ut Iudei intelligerent, Iehouam summum esse deum*. Quae enim Ieremias, Hierosolymis carcere inclusus, vaticinatus est, eadem Ezechiel, in captiuitate Assyriaca ad flumen Chabur viuens, recitauit eodem tempore populo atque diem indicauit,
quo

quo Hierosolyma, a rege Babylonis Ne-
bucadnezare obsessa, capta erat, Cap.
XXXIII, 21. &c. Iudeorum, aeuo illo
vientium, tanta erat prauitas atque ani-
morum corruptio, vt deus prophetae suo
ipse saepius declararet, se probe scire,
pessimos istos homines non emendatum
iri, licet illis destructionem vrbis Hiero-
solymae et totius Iudaeae euersionem sae-
pius portenderet. (Cap. II, 11. 27. XXXIII,
30—33.) Nihilominus mandatum illi de-
dit, vt pergeret in praedicendis his ma-
lis, vt, si res ita euenerint, vti pree-
dixisset, Israelitae intelligerent, ipsum esse
verum prophetam et Iouam verum deum.
Hunc omnium vaticiniorum principalem
et ultimum finem, claris verbis descri-
ptum, multis locis repetit Ezechiel, e. c.
Cap. VI, 10—14. VII, 8. XX, 48. XXII,
16. 22. XXIII, 48. XXIV, 24. 27. XXVIII,
23. XXIX, 5. 16. 21. XXXIV, 27. XXXV,
15. Ultimum huic oraculorum recensioni
adiungam, eiusdem Ieremiae effatum cap.
XXV, 11. 12. litteris consignatum 2 Chron.
XXVI, 21. et 22. exilium videlicet Israe-



litarum, ex regno Iudee a rege Nebucadnezzare Babyloniam abductorum, LXX annos duraturum; quem annorum numerum determinatum cum Daniel consideraret, spem concepit animo certam, exilii finem instare, atque haec eius spes non frustrata est.

Hanc vniuersam oraculorum, euentus quosdam certis atque constitutis temporibus futuros continentium, seriem, si viri quidam eruditi animo perpendere velint et scrutari, intelligent, vates diuinos neutiquam, quod isti contendunt, tempora tantum in vniuersum, siue laeta, siue tristia, portendisse, quod vel etiam ex ingenio humano, et animi, futura prospicientis, sagacitate fieri potuerit, sed illos eiusmodi euentus incertos, quos prudentia hominum nulla praeuidere poterat, distincta oratione et claris verbis praesignificasse, quod profecto sine peculiari prouidentiae diuinae auxilio fieri non potuit. Atque hanc futurorum rerum contingentium certam praesignificationem

tionem deprehendimus factam esse non in
 vno tantum, vel altero negotio, sed in
 multis diuersis, iisque obscuris rebus,
 quas non sermone flexiloquo et ambiguo,
 sed aperto et claro praedixerunt vates,
 quorumque euentum illorum coaeui oculis
 suis viderunt. Magnum itaque facien-
 dum est discrimen gentium hariolos inter
 atque veros Israelitarum prophetas. In-
 iuriam his inferunt interpretes s. f., eos-
 dem comparantes cum Chaldaeorum et
 Graecorum, aliorumque populorum praefi-
 stigatoriis, astrologis et illis, qui per
 furorem futura praecernere putabantur,
 et animi magna commotione ex improviso
 euentus quosdam verbis magniloquis atque
 obscuris portendebant. Non enim com-
 parandi, sed potius e diametro opponen-
 di sunt gentilium vatibus et oraculis.
 Ficta haec erant, falsa et imaginaria, siue
 ab hominibus fanaticis, siue ab imposto-
 ribus prolata; illa autem vera, euentu
 ipso comprobata a viris animi probitate
 et integritate conspicuis, nomine ipsius
 dei prolata eum ipsum in finem, ut fu-

D 5 tura-

turarum rerum praedictarum cumentu et ceteris gentibus argumentum exhibetur certissimum, Iehouam esse vnum et verum deum. Hunc finem oraculorum principalem fuisse, ipse deus per Iesaiam aliosque vates declarauit et se ab omnibus diis fictis seiunxit. Adferte, inquit, (deorum ceterorum vanitatem demonstratus) adferte caussam vestram, allegate argumenta vestra; *adnunciate nobis fortuita, quae prius futura sunt, indicate, ut et posterius futura intelligamus; promulgate, quae longe post euentura sint; adnunciate, quae in posterum existent: ita intelligimus, vos esse deos.* Ief. XLI, 21. 22. (Me autem, Iehouam, esse verum deum, homines intelligent;) nam, quae olim praedixi, euenerunt; iam noua enuncio, antequam orientur, de iis loquor cap. XLII, 9. congregentur omnes populi, conueniant nationes; quisnam ex his hoc potest annunciare? Priora nobis indicent, excitent testes suos, declarentur esse veraces; (cum hoc autem non poterunt) audiant nos et fateantur, vera esse, quae diximus. Ego indico, me ser-

vatu-

vaturum esse, idque declaro, quod non facere potest *alius deus*, cap. XLIII, 9.
et 12.

Haec adeo clara sunt et aperta, ut vltiore declaratione non egeant. Lectorum enim quiuis sponte sua intelliget, deum, pro sapientia sua, se in demonstranda existentia et prouidentia sua hominum ingenio et rationibus cogitandi accommodasse, vsumque esse iis argumentandi generibus, quibus facillime de veritate certi fieri poterant animi. Cumque vera religio omnibus falsis esset opposita, oraculorum etiam natura atque indoles contraria esse debebat. Ficti dii fictas edebant futurorum praedictiones; verus deus vera edebat oracula; vera autem fuisse, euentus demonstrabat atque per euentum Israclitarum animi tandem de veritate numinis Iehouae adeo conuicti sunt, ut nulla vi, nullis persequutionibus, cruciatibusque eorum fides in deum labefactari posset. Hanc autem fidei constantiam non prius consequuti sunt Israelitae,



litae, quam intelligerent, omnia euenisse,
quae per Mosen ceterosque vates diu-
genti suae praedicta erant. Hoc demum
accidisse, exilio Babylonico finito, ex
Esrae et Nehemiae libris atque Macca-
baeorum historia intelligitur. Si qui sunt,
qui hanc veri dei notitiam, in Iudeorum
animis restauratam et confirmatam, ex
aliis fontibus deriuent (quod a quibus-
dam viris doctis factum esse constat) re-
futent, velim, hanc verae historiae re-
rum factarum et inter se cohaerentium
expositionem; indicent nobis gentem il-
lam, a qua Israelite, idolis seruientes,
meliora edocti sint; Chaldaeine an Persae,
an Medi, an Graecorum et Aegyptiorum
sapientes? Numne ex ipsis idolatriae
tenebris melior rerum diuinorum notitia
oriri poterat? Omnes populi, Persis non
exceptis, siue astra, siue alias deos, deas-
que coluerunt, vsque dum per Euange-
lii doctrinam collustrati, vnum verum
deum cognoscerent, et venerari diserent.
Erant quidem Persae infesti deorum simu-
lacris, persuasi deos nec templorum mu-
ris

ris includi, nec forma siue hominum,
siue animalium, posse exprimi. Sed ipsi
superstitioni dediti, solem, ignem &c.
cultu diu. prosequebantur.

Cum itaque Israelitae a nulla alia in
terrī gente dei veri notitiam haberent;
cum ex litteris sacris intelligamus, Iu-
daeos tam diu idola coluisse, vsque dum
per rerum futurarum a vatibus diu. praedictarum
euentum, conuicti essent, praeter
Iehouam nullum esse aliud; iure
nostro inde colligimus, fuisse vaticiniorum
finem, si non vnum, tamen principalem
hunc, vt veri dei existentiae atque pro-
udentiae probandae argumentum suppedita-
rent Israelitarum ingenio accommoda-
tissimum. Haec adeo clara et definito
sermone a Mose et reliquis prophetis
praedicta sunt, vt qui dubitationes contra
moueret, inscitiam suam proditurus esset.
Iam autem, quis, quaeso, ante tria fere
millia annorum praesentire poterat, il-
lum, qui hanc rerum humanarum con-
uerzionem et facrorum emendationem pro-

cura-



curaturus et effecturus sit, ex Abrahami familia progignendum, et quidem non ex *Ismaelis* stirpe, sed ex *Isaaci*, non ex *Esaui* sed ex *Iacobi*; non ex alia tribu et domo, quam ex *Iudaica* et *Dauidica* nascendum esse? Quis erat tanta animi sagacitate praeditus, ut Iesiae aetate, qua idolatriae pestis vniuersum fere genus humanum infecerat, praeuidere potuisse, fore, ut tandem Iehouae numen illi ipsi populi colant, qui huius dei veri templum Hierosolymae destructuri, et gentem Israeliticam in exilium abducturi sint? Quis familiae Dauidicae reliquias tam diu conseruavit, vsque dum felicitatis humanae restaurator ex eadem prognatus esset? Haec omnia fortuita fuisse, contingentia et incognita omnibus hominibus, deo soli nota, ab ipso adornata et effecta, quis non intelligat?

Confirmetur igitur animi Vesti, *Com-militones carissimi!* his veritatis praefidiis in ea, qua inde a prima iuuentute imbuti estis, religionis reuelatae notitia; exci-

excitentur his etiam argumentis non solum ad cultum deo atque Christo, domino nostro, per quem omnia dei promissa rata facta sunt, his festis diebus pia mente praestandum, sed etiam ad omnem vitam Vestram in verae virtutis studio ipsi dicandam, ut compotes fatis salutis, quam cultoribus suis exhibendam promisit, ut spe in Deo posita sitis felices!

Scrib. in Academia regia Friderico-Ale-
xandrina ipsis Paschatos feriis. c10ccxciii.

DE
VATICINIORVM CAVSSIS
ATQVE FINIBVS

SECTIO III.

Vaticiniorum caussas atque fines indaganti mihi saepe in mentem venit haec cogitatio , quam admirabilis dei sit sapientia, adhibentis vnum idemque admiculum ad procreanda multiplicis generis bona et animorum humanorum saluti et corporis viribus inseruentia. Quot et quanta emolumenta ex aqua percipere homines deprehendimus ? Quot fructuum genera e terra ? Quot commoda ex solis lumine et ardore ! Earum ratio est vaticiniorum : vna oraculorum vis ; plures fines. Scrutemur igitur diuinae prouidentiae vestigia, vt intelligamus , quaenam
emo-

emolumenta rerum futurarum praedictiōnibus in genus humanum intulerit. Cumque omnis nostra vera felicitas et in primis animorum salus ex accurata et vera Dei notitia pendeat; in hoc argumento pertractando initium faciendum erat ab hoc ipso, ut demonstraremus, Deum futura et quidem fortuita diu nonnunquam ante, quam acciderent, siue signis, siue claris verbis indicasse, ut familiis quibusdam generis humani antiquis sui *numinis vim* et *existentiam* comprobaret. Sequitur nunc alterum, quo efficiemus, ut intelligatur, deum res futuras eum etiam in finem indicasse, ut *naturae suae perfectiones humano generi patefaceret atque in rebus visitabilibus dirigidis ad contemplandum ante oculos quasi poneret.*

Huius rei demonstrationem exhibiturus ante, quam opus ipsum aggrediar, declarandum esse censeo, me eum non esse, qui sibi persuadeat, mentem humanam intelligentiae purae et perfectae naturae infinitae et aeternae capacem esse. Eiusmodi enim dei notitiam, quam intuitiuam

E ap-

appellant, in nostram infirmitatem non cadere, et philosophi recte docent, et sacrae litterae confirmant, 1 Tim. VI, 16. et Matth. XI, 27. Accommodauit se deus humanae sentiendi rationi in apere riendis et reuelandis suis perfectionibus. Sermone humano se ipsum tanquam hominem descripsit moreque humano nobiscum egit, ut aliquam saltim consequemur eius cognoscendi facultatem. Quas nam igitur naturae suae infinitae perfectio nes rerum futurarum praedictionibus siue notas fecit, siue in clariorem lucem produxit?

I. Primo loco, hoc in argumento explicando, *veracitatem* dei ponendam esse, res ipsa monet. Apertum enim est atque clarum, de hac dei virtute homines ne quidem cogitare potuisse, nisi ipse promissis quibusdam, hominibus datis, fide praestita, stetisset. Ex huius enim vniuersi contemplatione, ex rerum creatarum mirabili conformatione, et quo constitutae sunt, ordine, intelligitur quidem, conditorem huius mundi maxima vi, sapientia, natu-

naturaeque bonitate esse praeditum; sed veracitatis ipsius ne vllum quidem in hac visibilis mundi compage deprehendimus indicium. Cum autem hominum, peccati labe infectorum, eiusmodi sit natura, vt non nisi *fide in deo positi* queant ad veram animi requiem et salutem pertingere; Deus dedit et singulis quibusdam hominibus et familiae Abrahamicae vniuersae certas rerum futurarum promissiones, vt, iisdem impletis, intelligerent, esse dei sermones veros, eumque mentiri nescium; quidquid boni amicis suis vnuquam spoponderit, id tempore commodo et saluti eorumdem maxime accommodato, iis largiturum esse. Quantum roboris fides horum hominum ex hac cogitatione ceperit, omnes nosse existimo, qui historiam sacram attento animo legerint.

2. *Iustum esse Deum*, discere quidem poterant homines, antiquissimis etiam temporibus viuentes, ex rerum visibilium cum felicitate humana peculiari et arcissima coniunctione, qua fit, vt qui recte fecerint, bona consequantur, qui peccata

E 2 com-




commiserint, afficiantur malis. Sed hanc rerum, se inuicem sequentium, rationem paucissimi in ipsa rerum natura quaesituri fuissent, nisi deus signis quibusdam visibilis et verbis declarauisset, se esse auctorem et conseruatorem huius ordinis, se praemiis exornare iustos et probos, immorigeros autem poenis afficere. Ut igitur homines certiorem et efficaciorem consequerentur iustitiae diuinae intelligentiam, deus pro sapientia sua hominibus mala quaedam minatus est eaque inflxit iis, qui in peccatis perseuerauerant. Piis autem cultoribus suis beneficia promisit et obedientiae constituit non solum, sed et exhibuit praemia. Sapienti hac rerum directione effectum est, ut homines *iustitiae diuinae et ultricis et remuneratoriae* aliquam perciperent notitiam. Illustrē in primis iustitiae suae documentum dedit deus tum, cum hominum genus depravatum et penitus corruptum diluuii aquis deleret. Quamuis enim credibile sit, propter aquae multitudinem, terram adhuc circumfluentem, fluctus naturali vi sua et impetu Asiam inundasse, hoc tamen euentu terri-

terribili deus iustitiam suam declarauit,
 cum hanc rerum humanarum euersionem
 per Noachum, diu antequam incideret,
praesignificari curauit. Nisi enim deus ex-
 presso declarasset, mala, ex aquarum inun-
 datione oriunda, esse *poenarum* genus,
 peccatoribus ob flagitorum grauitatem in-
 fligendum, quisnam hominum potuisset di-
 iudicare, atque certis rationibus probare,
 diluuium illud inter *poenas diuinias* esse re-
 ferendum? Ex hoc potissimum fonte flu-
 xisse videtur opinio omnibus fere gentibus
 communis, mala insignia quaevis esse poe-
 nas diuinias. Atque hanc ipsam ob causam
 deus futuros euentus quam plurimos,
 cum tristes, tum laetos, Abrahamo et
 posteris ipsius praenunciauit *), vt intelli-
 gerent, se proborum esse remuneratorem
 et impiorum seuerum iudicem.

3. *Amorem Dei* praeterea, *munificentiam*
ipsius, atque *clementiam* ope vaticiniorum
 E 3 et

* Harum praedictionum exempla recensuimus
 nuper in secunda huius *commentationis*
Sectione.



et rerum futurarum praedictionibus, penitus intellectam esse ab Israelitis, sine difficultate quiuis concedet, harum promissionum naturam et vim probe consideratus. Quis enim non admiraretur summam Dei in cultores suos benignitatem, cui non satis esset, rerum praesentium abundantia eorundem desideriis satisfacere, sed qui vellet etiam spe futurae felicitatis, a se promissae, iucundos augere animorum sensus? Quomodo e. c. exultat Dauidis animus, promissione de regno aeterno accepta: "O Iehoua Deus, quis ego sum, aut quae mea stirps est, vt me hucusque adduxeris; vtque parum hoc tibi fieri visum fuerit, vt tu etiam stirpi meae in longinquum prospicere volueris, vt mea propagatio tuo sit fauore felix in sempiternum!"
 2 Sam. VII, 25. 28. 29. Hac ratione et aliorum hominum animos rerum promissionum dulci praesensu et expectatione ad adorandam Dei benignitatem esse commotos, non est, quod dubitemus.


4. Nonnunquam oraculis eiusmodi impletidis *omnipotens* Dei *vis*, et mira ipsius
sapien-

■ ■ ■

71

Sapientia, in lucem proferebantur clariorum. Deus enim piis hominibus saepius pollicebatur talia, quae fieri posse, vix credibile esset. Cum igitur nihilominus euenirent, confirmabantur animi in ea persuasione, nihil esse tam inopinatum et incredibile, quod deus omnipotens efficere non posset. Sine rerum praedictionibus mirabiles quidem visu fuissent eiusmodi euentus inuisitati et extraordinarii, sed quis est, qui non intelligat, istius aeui homines illos vel casui tributuros, vel ad vim aliquam naturae occultam, non ad Deum ipsum relatuos fuisse? Postquam autem Deus voluntatem suam hominibus antea iam declarauerat, promiseratque se effecturum, quae ab hominibus fieri et produci plane non possent, Abrahamus posterique ipsius vis infinitae et mirificae sapientiae diuinae intelligentiam ampliorem sunt adsecuti.

5. *Praescientiam* rerum futurarum et omniscientiam denique vaticinationibus declaratam esse, res ipsa docet. Harum na-



turae diuinæ perfectionum nulla fere ho-
minibus antiquissimis notitia videtur
fuisse; quod quidem ex primis libri primi
Mosis capitib⁹ vltro adparet. Inducitur
enim deus repetita vice tanquam de coelo
descendens, *vt videat*, quid homines in
terra agant, Genes. XI, 5. Cap. XVIII,
20. 21. Nec poterant primæ generis
humani familie, omni philosophia et sub-
tiliori naturae cognitione destitutæ, aliter
cogitare de summo numine. Quid? quod
ne magni quidem nominis feriorum tempo-
rum philosophi conuicti erant, deos futura
praescire omnia? Hoc saepius repetit
Cicero in libris, quos scripsit de diuina-
tione Lib. II, 7. it. Lib. I, 5. Fratri
enim, *Quinto*, rationem Stoicam probanti,
deos non posse non futura praenoscere,
respondit, multos alias philosophos hoc
negare, eosque in primis omnes, quibus
non placeat, esse certum, quod futurum
fit. Inter Iudaeos etiam fuisse, qui dubi-
tarent de Iehouæ rerum futurarum praec-
scientia, ex omnibus illis s. codicis locis
intelligitur, quibus auctores historici et

pro-

prophetae referunt, Israelitas ex hariolis et gentilium oraculis futura sciscitatos esse. Qua re Iesaias hanc stultitiam carpens: si vobis, dixit, quidam suaferint, ut ventriloquos magosque mussantes consulatis, (sic cogitatis): nonne suum debent homines deum consulere? Cap. VIII, 19. Quoties idem vates Israelitarum animis hanc veritatem inculcauit, Iehouam *solum praescire*, quae futura sint! Cap. XLI, 21 — 26. XLIII, 9. Hanc autem dei rerum futurorum *praescientiam* ut homines rite cognoscant, ad illorum veram salutem promouendam maxime est necessarium. Quomodo enim firma fiducia, in deo posita, pacato et laeto animo, bona quaevis ab eo exspectare possemus, nisi essemus persuasi, illum, quid et in posterum nobis vtile, quid optimum nobis sit, praeuidere; qua ratione, quae nobis nostrisque postris post obitum nostrum proficia sint, precibus fusis ab eo efflagitare et exspectare possemus, nisi crederemus, deum cuncta scire, quae hominum saluti siue aduersaria, siue consentanea futura sint?

E 5 Dei

❧ ❧ ❧

Dei rerum futurarum scientia sublata, destruitur fidei fundamentum firmissimum omnisque de prouidentia diuina institutio labefactatur.

Ad tertium vaticinationis caussarum et finium genus explicandum accedimus, quod ex felicitatis humanae efficiendae et promouendae necessitate deriuatur. Sicuti nempe deus in salute humana procuranda omnibus auxiliis atque copiis vtitur, quae aliquam vim habere possint ad animos eorum emendandos, pacandos et virtute exornandos; ita etiam rerum futurarum praedictiones ad hunc scopum consequendum adhibuit.

Atque, vt inde ordiamur, ipsa rerum futurarum scrutatio ad acuendum intellectum humanum facere videtur. Omnis enim rationis vis in eo cernitur, vt *causas* rerum et effectus perspiciamus corundemque nexum ita perscrutemur, vt quid ex quaque re sequatur et futurum sit, praeuideamus. Hanc potissimum ob rationem,

nem, deus menti humanae insatiabilem futurorum praesentiendorum cupiditatem indidisse videtur. Brutorum est, res praesentes sine cogitatione adspicere, iisque vti coeco instinctu; hominum autem, cogitando et rerum praesentium adspectu ad inuisibilia progredi et futura rimari. Quo saepius mortales hanc rerum futurarum intelligendarum exercitationem suscipiunt, eo sagaciores, et prudentiores eosdem redi, constat. Hac futuri praesciendi cupidine homines eo ducuntur, vt cogitent, quid post huius corporis mortem futurum sit; quid illorum animis euenturum, in quemnam mundi locum translocandi sint, quaenam praemiorum genera virtutem, quosnam poenarum sensus malefacta sequi, credibile sit? Hanc rerum futurarum perscrutandarum nisum si demis, omnis religionis vim tollere videris. Nam ad futuram in primis felicitatem consequendam, doctrina de rebus diuinis nobis est tradita. Ex his omnibus colligitur, diuinam sapientiam rerum futurarum praedictionibus hoc etiam efficere voluisse, vt

ex




ex rerum praesentium et corporis sensus afflcientium viu et illecebribus animi hominum eriperentur, atque ad futura contemplanda commouerentur. Atque hoc primis post mundum conditum temporibus maxime necessarium fuit, quia in illis humani generis incunabulis mortalium plurimi, sensuum imperio subiecti, solis ducebantur sensibus et rerum visibilium formis delectabantur. Quantam autem habeat *rerum futurarum expectatio* vim ad abstracthendos animos a rerum in sensus cadentium specie, intelligent omnes, qui, quid futurae vitae spes, in primis Iesu Christi asseclis effecerit, accurata lance pensitent, et ipsi experti sint, quasnam gignat in nostris animis cogitationes, quos sensus generosos deoque gratos. Eosdem autem et olim fuisse rerum futurarum spei effectus, ex Abrahami, Iacobi, Isaaci, aliorumque exemplis discimus, de quibus Paullus in epistola ad Hebraeos Cap. XI, 9. etc. multas egregias sententias protulit.

Praeterea, haec rerum futurarum, a deo promissarum, *expectatio*, quantam habe-

haberet vim, ad fidem in deum in hominum animis confirmandam atque augendam, multis exemplis comprobari posset, si res ipsa adeo in aprico posita esset, ut probatione non egeat. Nam fidei natura potissimum cernitur in promissionibus diuinis acceptandis et promissis exspectandis.

Ex fide autem, in qua omnis fere vis religionis posita est, nascitur quaedam mentis laetitia, quae veram hominum felicitatem mirum in modum augere potest et stabilem reddere. Duplex est enim iucundarum sensationum fons; alter est in fructu rerum praesentium constitutus, alter in *praeuisione* rerum laetarum, quas animus desiderat et certa spe expectat. Experiencia teste, ex hac rerum futurarum *praeuisione*, plurimorum hominum animi magis oblectantur, quam ipsarum rerum praesentium adspicere. Earum enim, quas possidemus et quibus quotidie fruimur, pretium ipsa fruendi facilitate diminui solet. Inde fit, ut animus languere incipiat in hoc usu perpetuo, atque ut rerum vel

iucun-



iucundissimarum tandem taedio afficiatur. Rerum autem expectatarum pulchritudine et praestantia mirum in modum allicimur; *speque ipsa reddimur felices.* Rom. VIII, 23—25. Respiciamus iterum ad Abrahami exemplum, quod hoc in argumen-
to iustar omnium est. Gestivit ille
diem filii, ipsi promissi, videre; vidi-
que laetatus est. Ioh. VIII, 56. Eodem
laetitiae sensu affectos esse Isaacum, Iaco-
bum aliquosque fide vera homines praeditos,
inde colligitur, quod eaedem caussae in
hominibus sibi similibus similes producere
soleant effectus. Habebant itaque diuinæ
promissiones eam vim, ut retro operarentur.
Pii videlicet homines, qui easdem a deo
acceperant, animis suis pari modo afficie-
bantur, ac si beneficia promissa oculis
animaduerterent, tenerentque manibus suis.
Horumque beneficiorum intuitu eo magis
laetabantur, quod nihil prius in votis ha-
berent, quam posteritatem, omnibus bonis
exornatam et diu florentem, quodque be-
neficia familiis suis promissa et posteris,
extremis temporibus aliquando viuentibus,

a deo

a deo praestanda, eodem loco haberent,
 ac si ipsis iam tradita essent. Sic, vt
 exemplis vtar, certum est, Abrahamum
 Palaestinam, licet peregrinum et hospitem
 in hac terra, tamquam suam et propriam
 considerasse, liberisque suis hereditatis loco
 reliquisse. Ebr. XI, 8. Eandem fuisse
 Isaaci et Iacobi de hac terra cogitandi
 rationem, ex eorundem vitae historia pa-
 tet. Cum itaque homines illi, vera in
 deum fide et pietate praediti, omnem et
 suae et posteritatis suae salutem a deo de-
 riuandam esse statuerent; cum illorum
 animi rerum futurarum, a summo numine
 ipsis et familiis suis promissarum, magni-
 tudine et splendore mirum in modum ad-
 ficerentur; non poterant non inde oriri
amoris erga Deum, et gratiarum ipsi agen-
 darum sensus ad omne virtutis studium
 promouendum saluberrimi. Eiusmodi enim
 sunt praestantissimi verae fidei fructus,
 qui in Israelitis gigendi erant et alendi eo
 magis, quod in eiusmodi rerum futurarum
 praeuisione solatium haberent in *rebus ad-*
uersis dulcissimum. Quam erecto et con-
 stanti

stanti animo e. c. Dauides mala tulit et superauit, quibus, a rege Saul fugatus, in exilio circumdatus erat et obrutus! Quam firma fide nitebatur animus ipsius in diuina promissione, se regem fore omnium gentis suae familiarum! Quidnam caussae erat, quod Abrahamus animum suum non frangi pateretur, quum mandatum acciperet immolandi filii sui vnigeniti? Nonne eadem rerum laetarum promissio, in qua, tanquam in rupe immobili, fides ipsius erat posita et stabilita? Ebr. XI, 8. etc. Non solum vero singuli homines res molestas eo leuius tulerunt, quod meliora a deo ipsis promissa, tamquam totius vitae suae scopum, in oculis haberent; sed omnes Israelitae, quotquot videlicet eorum veri erant dei cultores, in publicis calamitatibus promissionum divisi et efficacia mentibus corroborabantur et ad res maximas gerendas nonnumquam incitabantur. Quare videmus, deum regni perpetui seu *Messiani* felicitatem iis potissimum temporibus a prophetis fusius describi curasse, quibus vel ab hostibus bello pete-

peterentur, vel aliis aduersariorum vexationibus essent expositi. (Ies. VII. VIII. IX. Ier. XXIII. Ezech. XXXIV. XXXVII.) Omnes prophetae iis orationibus, quibus vel urbis Hierosolymitanae destructionem, vel totius Palaestinae vastationem portendebant, sub finem adiecerunt spem *meliorum temporum*, in regno Messiae expectandorum. Hanc ob rationem vates diuini ex rerum tristium, tunc temporis instantium, aspectu oculos subito auertere solent et dirigere in *extrema tempora* (בְּאַחֲרִית יָמִים), quibus in urbe Hierosolymae, post exilium restituta, *regni aeterni* fundamenta positum iri sperabant.


Hoc in regno piis dei cultoribus perpetua virtutis praemia distributum iri sperabant, quae spes necessaria erat cum ad animos tranquillandos, tum ad virtutis studium eosdem excitandos. Multis enim probis hominibus laborum et operum bonorum merces in vitae suae breuitate et molestia tribui non poterat. His deus pro benignitate sua bonorum futurorum spem


F prae-



praemii loco constituere decreuit. Aliis ,
quos multis quidem exornarat beneficiis ,
maiora adhuc promisit eam ob causam ,
quod res terrestres , caducae et fragiles
tanti momenti non sunt , ut virorum pro-
borum desideria explere possint. Atque
harum promissionum vi et virtute Deus
praesensum aliquem immortalitatis animarum
videtur instilasse iis , qui de vitae post
corporis mortem modo et ratione suspicio-
nes magis , quam distinctas habebant re-
präsentationum formas. In istam enim
humani generis infantiam non cadebat
distincta , euidens et perspicua *felicitatis*
coelestis notitia. Hoc vel ex eo patet ,
quod ipsi apostoli vix essent capaces per-
cipienda doctrinae de Christi *in coelos*
adscensione. Ioh. VI, 62. Promissionum
diu. virtute et efficacia mentes piae , a
praesentibus rebus auocatae , dirigebantur
ad contemplandas res futuras et inuisibili-
les. Perceperant siquidem a parentibus
suis traditione , atque ex vitae suae ante-
actae historia didicerant , deum , quae bona
promiserit amicis suis , certe etiam exhi-
bere ,

bere, eorundemque salutem omnibus modis curare et augere; ideoque in eam sensim deferebantur expectationem, deum illis prouisurum etiam esse in mortis articulo, animarum suarum felicitatem post corporis destructionem siue conseruaturum, siue restauraturum. Hoc dulci morientium solamine Abrahamum et posteros, fidei ipsius imitatores, ex hac vita deceperisse, auctor epistolae ad Hebraeos docet Cap. XI, 13. etc. Firma in deo posita fiducia moriebantur, non adepti his in terris promissa, sed ea procul conspectati crediderunt et amplexi sunt. Quanta nos decet agere deo gratias, immortalitatis spem certissimam nobis facienti per Christi non modo doctrinam, sed et ipsius mortem et resurrectionem, validissimis testimoniois comprobatam, aliisque multis confirmatam rationibus!





DE

VATICINIORVM CAVSSIS
ATQVE FINIBVS

SECTIO IV.

Vaticiniorum caussas et rationes expo-
suti tria absoluimus argumentorum
genera. Comprobauimus enim primum,
futuros quosdam euentus a deo praesigni-
ficatos esse eum potissimum in finem, vt
ceterae gentes pariter atque Israelitae in-
telligerent, Iehouam vnum verum esse
Deum; deinde vt ipsius perfectionum, e.
c. veracitatis, sanctitatis et in promissis
implendis fidei et iustitiae, amoris et be-
neficentiae &c. ampliorem atque distinctio-
rem colligerent notitiam; vt denique
(quod tertium erat) fide illorum in deum

COLL.

confirmata, atque amoris in ipsum sensu adauerto, ad omne virtutis studium incenderentur, et maiorem verae felicitatis copiam consequerentur. Finem tertii commentarioli fecimus obseruatione hac, Israëlitarum animos bonorum in vaticiniis promissorum adspectu erectos esse in rebus aduersis atque spei solamine corroboratos. Cum autem hoc factum esse apprehendamus illarum inprimis promissionum vi, quae futurum Messiae regnum ipsumque regem Messiam splendidis imaginibus descriptum continent; ultimam totius argumenti partem explicandam illico adgradiamur, inquisituri in caussas et fines vaticiniorum, futurum Messiam concernentium.

In vniuersum quidem de hoc oraculorum genere omnia valent, quae de vita et vsu omnium vaticiniorum hucusque differuimus. Cum autem haec in vniuersum a nobis dicta ad illas de Messia futuro praedictiones peculiares applicare difficile non sit, supersedere possumus huic labori, conferentes nos protinus ad



ea, quae oraculorum vi sunt effecta tum,
cum Deus humano generi promissa pree-
ststit. Petrus quidem in I. epistolae I, 12.
perquam scite: prophetae, scripsit, non
sibi ipsis, sed nobis inseruierunt, cum
oracula de Messia futuro proferrent.

Quanam igitur ratione oracula de
Messia inseruierunt hominibus, Petri aeta-
te viuentibus? — Iudeorum, nouis,
per Iesum Christum constitutis, sacris ini-
tiatorum, plurimos, vaticiniorum, quae
crederent in Iesu Naz. impleta esse, con-
templatione, eo esse perductos, ut ipsum
Messiam haberent, notum est omnibus.
Nihilominus negant quidam nostri aeui
theologi, vlla oracula de Iesu Naz. in
prophetarum libris contineri, alii hac de
re modestius dubitant. Dispiciamus igi-
tur, quid sit, quod hos mouere possit,
vt, relicta via ab apostolis et omnibus
fere ecclesiae doctoribus hucusque serua-
ta, nouam hanc oraculorum Messianorum
interpretandi rationem sequantur. Ne
autem preeconceptis horum doctorum
opinio-

opinionibus abrepti, sine iusta et solida ratione oracula diuina pro meritis declareremus locorum V. Testamenti ad res spirituales N. T. accommodationibus, inquiramus modum, quo *primum* quidam *homines*, in primis e familia Dauidica et tribu Leui, commoti sint, ut crederent Iesum Naz. esse Israelis regem, a deo in vatum libris promissum, *deinde*, *quibusnam rationibus Iesu ipsi et apostolis ipsius persuasum sit*, illum esse Messiam, totius generis humani sospitatorem.

Hoc in argumento discutiendo nihil supponimus, nisi historiae euangelicae, ab euangeliorum auctoribus litteris confignatae, veritatem et fidem, quam, nisi quis nobis concedat, certam esse, theologi christiani nomine is vix dignus esse videtur.

Primum omnium, qui rerum nouarum, ad cultum dei spectantium, praeuisiōnem aliquam animo conceperit, Zachariam, Ioannis patrem fuisse, a Luca litteris re-

latum est. Hunc igitur, num praeter rerum futurarum praedictionem in hanc cogitationem delapsum esse, deprehendimus? Contigit ipsi et vxori ipsius idem fere, quod olim Abrahamo et Sarae. Seni ipsi et Elisabethae, liberis concipiendis, ut videbatur, incapaci, filius promittitur; dubitanti autem veritatis signum constituitur hoc, illum fore *mutum* usque ad filii nativitatem. His promissis cum euentus responderet, quaenam dubitandi causa relinquebatur patri? Cur non fidem haberet deo, declaranti, hunc filium fore Messiae ministrum, illum antecedentem, spiritu *Eliae* praeditum, ad conuertendos patres liberosque familiae Israelitecae &c. Luc. I, 17. &c. — „At enim eratne vere a deo per Malachiam promissus *Iohannes*, *Eliae* similis? Aut accommodauit tantummodo Lucas sermonem opinionibus Iudeorum?” — Respondeo: Lucas ne poetae instar hanc historiam ex suo ingenio finxit? Si vera est tam diu habenda, usque dum contrarium probatum sit, cur non credamus? Iam vero aequafaci-

facile fuisse deo, curare, vt per Malachiam vera praenunciarentur, quam permettere, vt male sana mentis suae figura spargeret, quis est, quin nobis concedat? Quid igitur vetat, quo minus Christo, veritatis doctori optimo, credamus, declaranti, sub forma et nomine *Eliae Ioannem* descriptum fuisse? Matth. XI, 14. XVII, 13. His rerum futurarum praedictionibus regni Messiani instantis spem concepisse etiam reliquas, quae in historia de initiis euangelii occurrunt, personas, breuis harum rerum commemoratio docebit. De Elisabetha, Zachariae vxore, loqui non attinet, cum ipsius et mariti par sit ratio. *Maria* autem, Iesu genetrix, num alio modo fidem in filium animo concepit, quam ipsius conceptionis mirabilis praedictione, per euentum comprobata? Luc. I, 31. Hanc autem promissionem Maria ne intelligere quidem poterat sine oraculorum, futurum Messiam describentium, notitia. Angelus enim ad nativitatem Iesu praesignificantem iis ipsis verbis usus est, quae Ie-


faias cap. IX, 5. 6. de rege Israelitarum futuro scripserat, cuius imperium aeternum fore, deus promisit.

Nec difficile dictu est, ad quacnam vatum oracula Iesu ipse in primis respexerit, vt fidem suam verbo dei immobilem redderet. Cum enim Deus res omnes ita adornauisset, vt, quae ab eo promissa erant, suo tempore euenirent; Iesu non poterat non intelligere, se esse, quem Deus genti Israeliticae praesignificauerat, doctorem et regem, in vatum oraculis descriptum.

Hoc de se ipso iudicium mature in ipsius mente natum esse, intelligitur ex sermonibus in templo Hierosolymitano anno iam aetatis suae duodecimo prolati Luc. II. Prima huius sui ipsius notiae semina mater Maria animo ipsius iniecisſe videtur. Nam sine dubio filio narrauit, quae Deus per angelum illi promiserat, imperium nempe in populum Israeliticum, vi veritatis stabiliendum eum in

in finem, ut veri Dei cultus ad ceteras gentes propagaretur. Hanc enim spem Mariam de filio suo aluisse, credibile erit lecturo cuius Zachariae orationem et Mariae gratiarum actiones Luc. I. litteris consignatas. Cum autem promissiones de futuro Israelitarum Messia, ex Iudeorum sententia, in vatum libris continerentur: credibile est, puerum Iesum ad oraculorum, de se in libris propheticis scriptorum, lectionem cum a parentibus, tum suopte ingenio et spiritu diuino esse excitatum et allectum. Ipsius enim de rebus diuinis intelligentia adeo crevit, ut Iudei pueri Iesu cum eruditis viris in templo instituta colloquia stupefacti admirarentur. Hoc in scilicet litteris legendis studium Christo admodum necessarium fuit eum etiam in finem, ut certior redderetur, se non modo populo Israelitico, sed etiam *omnibus gentibus* fore aeternae salutis auctorem. Sensu enim interno conuictus quidem erat, se non merum esse hominem; sed dubitationes oriri poterant in tam graui et maximi momenti negotio.

Pote-



Poterant videlicet in Iesu animo oriri eiusmodi cogitationes: "Materne, Maria, visione quadam sibi illudi passa est, ut crederet, ex se nasci Messiam? Nonne animus meus me ipsum decipit? *Filium Dei* me esse puto, legatum dei et prophetam omnium praestantissimum, quibusnam argumentis haec omnia mihi et Iudeis probare potero?" — Eiusmodi dubitationes in Christi animo vere ortas esse, patet ex temptationis descriptione. Matth. IV, 1. &c. Adhibenda igitur erant argumenta quaedam externa ad corroborandam in animo Christi persuasionem illam, se esse legatum diuinum, a Deo per vates populo suo promissum. In his argumentis principalia erant ex libris propheticis deriuanda. Messiam e. c. spiritus sancti donis largissimis instructum fore atque exornatum, vates cecinerant (Ief. XI, 1. &c.) et Iudaei credebant, aliis etiam librorum propheticorum locis adhibitis (e. c. Ief. LX, 1. &c.) Hanc ob rationem Deus Ioanni, Messiam baptismate initiaturo, eius cognoscendi notam dedit hanc:

super

super quem descendere et manere spiritum vi-
 deris, is est, qui sanctum spiritum aliis im-
 pertiatur, Ioan. I, 33. Huic promissioni
 cum in Iesu baptismate satisfactum fuisset,
 Ioannes non solum eum Messiam esse de-
 clarauit, sed et Christus ipse hac visione
 atque spiritus sancti operationibus in ea,
 quam habebat, de se vera opinione sine
 dubio ita confirmatus est, ut, dubitatio-
 nibus, quae animum ipsius post haec tur-
 bare possent, remotis omnibus, ipsius
 fides immota staret et inconcussa. Ut
 autem nouum haberet argumentum, quo
 certior adhuc redderetur, se esse Messiam
 et prophetam, Moysi maxime similem; in-
 star Mosis quadraginta dies ab esca abs-
 tinuit, in deserto degens, precibus va-
 cans, temptationibus expositus *). His
 temptationibus superatis fides ipsius in
 Deum adeo erat corroborata, ut statim
 inciperet, se pro Messia gerere atque aliis
 hominibus, discipulis videlicet primis, Io-
 anni,

*) Plures quidem huius ieiunii causas fuisse,
 facile concedimus.

annī, Andreeae, Petro &c. idem non obscure declarare. Ioh. I.

Praeterea Iesus ex iisdem prophetarum oraculis didicisse videtur, quaenam esset munieris *sui ratio?* quaenam illius *partes?* Veritatis doctorem se fore, indicauit iam adolescentulus in templo sermones ferendo de rebus sacris, disputando cum hominibus doctis et parentibus respondendo: an nescitis, me esse debere in eo, quod patris mei est! Vnde vero haussisse, putamus, Iesum hanc officii *sui notitiam?* Poterant quidem eiusmodi cogitationes a dei spiritu animae Christi ingeri atque alter insigli; sed *solo sensu veritatis interno animus* non ita conuincitur, ut dubitationi locus nullus relinquatur. Ex verbo diuino igitur discere debebat Iesus, quid sibi *fusciendum* sit atque *perficiendum*. Hoc illum fecisse, intelligitur cum ex responsionibus tentatori obiectis Matth. IV.; tum ex primo, quem habuit Nazarethae sermone Luc. IV, 18.; intelligitur etiam non modo ex iis, quae post resurrectionem suam cum discipulis instituit colloquiis

quiis Luc. XXIV, 44., sed etiam ex omnibus commentariorum de ipsius vita locis, quibus oracula quaedam prophetarum ad sermones et actiones suas siue declarandas, siue defendendas adplicantur.

In alia nuper commentatione rationibus multis comprobauimus, prophetarum *oraculum principale* fuisse hoc, fore, ut a rege, ex Dauidis familia oriundo, verus Iehouae cultus, inter Israelitas stabilitus, ad omnes gentes propagetur. Conferamus cum hoc grauissimo propheticorum sermonum argumento ea, quae Iesus de se ipso praedicare solebat: ego sum mundi lux, h. e. vniuerso generi humano veritatis lumen largiturus sum, Ioh. VIII, 12. Venit tempus, quo omnes dei cultores omnibus locis patrem inuocabunt in veritate et spiritu. Ioh. IV, 24. coll. Ioh. XVII, 3. etc. Matth. XXVIII, 19. etc.

Praeterea Christo ex prophetarum oraculis discendum erat, *quaenam mala ipsi obuentura*, quinam animi et corporis cruciatus essent perferendi? Hanc aerumnarum suarum notitiam illum e vatum libris hau-
fisse,

sisse, adeo in aprico positum est, ut probatione vltiori plane non egeat. Ipse Ioannes baptista verba, quibus primum vtebatur ad Messiam, discipulis suis notificandum, ex Iesaiæ Cap. LIII. repetiit Ioan. I, 29. Ex eodem scripturae loco Iesus oraculum adhibuit, apostolis suis indicaturus, mortem sibi imminere, atque expressis verbis contendit, omnia iam in se perficienda esse et a se toleranda, quae a prophetis de se scripta sint. Nec dubium esse credimus, fospitatorem nostrum in cruciatibus suis perferendis ex oraculis diuinis animi solatium saepius repetiisse, praecipue tum, cum precibus et supplicationibus a Deo auxilium peteret, Ebr. V, 7.

Dulcissimum autem dolorum suorum leuamen ipsi erat certa vitae beatæ, eiusque post mortem restituendæ spes. Hanc autem spem ipsi fecerunt vatum oracula. Praedixerant enim non tantum ipsius cruciatus, morte inhonesta tolerandos, sed etiam gloriam mortis cruciatus secuturam **I** Petr. I, 12. Ief. LIII, 11. et 12. Hanc felicitatis futurae exspectationem Iesum etiam

etiam deriuasse ex prophetarum libris, ipse in colloquiis suis, cum apostolis institutis, prodidisse videtur, *Luc. XXIV, 26. 44.* Atque res ipsa ita ferebat. Qui enim voluisse interpretari discipulis suis oracula de se prolata, nisi ipse eisdem intelligentis operam dedisset? Quod igitur nostrae aetatis theologi quidam proferunt, Iesum, Iudeorum de Messia opinionibus sermones suos attemperando, *simulasse tantum oracula* quaedam de se in prophetarum libris scripta, id multis argumentis conuelliatur, quorum quaedam in hac huius commentationis necessaria breuitate allegasse sufficiat; plura alio dabimus loco.

Ex vniuersa sermonum, quos veritatis doctor omnibus numeris absolutissimus protulit, cohaerentia intelligitur, *illum certis rationibus animo conuictum fuisse, prophetas de se et regno suo, in terris condendo, quaedam edidisse oracula et litteris consignasse.* Nam Ioanni, ex ipso per legatos quaerenti, an sit a deo *promissus*, responsionem dedit affirmantem, *Matth. XI, 5. etc.* atque adiecit explicationem vaticinii, quod Maleachi Cap. III, 1. et IV, 4. 5. de Ioanne, Eliae imagine et nomine



descripto, protulerat. Eadem oratione Matth. XI, 13. contendit, omnes prophetas et Mosen in lege vaticinatos esse; inde autem a Ioannis tempore ea fieri, quae a deo per vates sint promissa. Hanc ob rem auditoribus aliquando declarauit, multos prophetas et reges cupuisse videre et audire, quae ipsi viderent et audirent, Luc. X, 24. Quarum rerum autem vindendarum vates et reges illi cupidi fuerint, intelligitur ex Abrahami, *primi omnium prophetae nomine exornati* (Gen. XX.) desiderio, a Christo ipso his verbis expresso: Abrahamus meum diem videre gestiuit et vidit, atque laetatus est, Ioh. VIII, 36. Si quis velit contendere, Iesum hoc dixisse accommodando orationem Iudeorum opinionibus, re ipsa refutaretur. Iudeis enim *opposuit* Christus orationem suam, non *accommodauit*. Hanc ob causam ipsi fidem non habuerunt, illorumque coecitatem et incredulitatem Ioannes carpsit Cap. XII, 38. etc.

Maximi autem in hac re sunt momenti verba illa Christi cum discipulis colloquentis: "o *socordes et animo tardi ad credenda ea, quae tam multis in locis vates dixerunt*!"

Nonne

Nonne Christum talia pati et suam in gloriam introire oportuit?" Luc. XXIV , 25. 26.
 Cur, quaeſo, Ieſus diſcipulos eam poterat ob cauſam reprehendere, quod prophe-
 tis, de ipſo vaticinantibus, fidem non
 haberent, ſi ille ipſe non habuerit, quin
 imo, ſi, de ſe nihil vnquam locutos eſſe,
 ſciuerit? Numne poſt reſurrecſionem cum
 Iudeis, opinionum fanaticarum morbo
 laborantibus, verſatus eſt, an cum amicis,
 quibus omnia aperte declarabat, quae
 erant in iipſius animo? Ioh. XVI , 29.
 Numne decebat illum, qui vniuersi gene-
 riſ humani lux erat, futuros omnium gen-
 tium doctores in errorum tenebris relin-
 quere, in falſis Iudeorum opinionibus
 conſirmare? Qua ratione dici poſſet,
 Christum legem et prophetas diſcipulis suis
 ita explicuiſſe, vt eorundem vaticinia, in
 ipſo et per ipsum implenda, rite intellige-
 rent, (Luc. XXIV , 23. etc.) ſi nullum in
 eorundem libris eſſet eiuſmodi oraculum,
 litteris conſignatum, plane non intelligimus.

Vniuersa tandem noui foederis, Deum
 inter atque homines mediatore Christo
 fanciti, natura et indoles cernitur potiſſi-
 mum in eo, vt ipſa bona, a Deo pro-

G 2 missa,

missa, exhibeat. Apostoli enim declarant, deum gentibus pariter atque Iudeis per Christum praestare iam ea, quae suis cultoribus, Abrahami fidem sequentibus, iuramento interposito, sit pollicitus, Galat. III, 17. etc. illum praestare Israelitis in primis, quae promiserit Davidi ceterisque Iudeorum maioribus Act. XIII., 32 — 34; spiritus sancti dona, in Ioëlis oraculis praesignificata, die pentecostes in apostolos esse collata, Act. II. Has Dei *promissiones* datas quidem esse praeципue Iacobi posteris, Rom. IX, 4.; gentes autem reliquas, per Christi mortem Deo etiam reconciliatas, participes esse factas horum beneficiorum, illis etiam *promissorum*, Gal. III, 14. Ephes. II, 13. *Omnis enim Dei promissio in Christo esse perfecte impletas*, 2 Cor. I, 20. Ioh. I, 17. omnesque, qui in Christum credant, esse Abrahami liberos et ex *promisso* heredes, Gal. III, 30. Hanc dei *promissionem* adeo esse firmam et iuramento in perpetuum stabilitam, ut ne quidem dei lege, per Mosen data, rescindi et abrogari potuerit, Gal. III, 16. 17.

Ex

Ex his satis superque intelligitur, Apo-
stolorum doctrinam esse perpetuam atque
constantem, loca quaedam in Mosis et
prophetarum libris esse, quae ad Christum
ipsiusque ecclesiam referenda sint. Si quis
scrupulum nobis obiicere velit hunc, pro-
phetas de *terrestribus* tantum bonis, genti
Israeliticae aliquando conferendis, cogi-
tasse; det ille nobis veniam quaerendi,
quibusnam argumentis sententiam suam
comprobauerit *)? Deinde si vel maxime
concedamus, vates omnes (quod tamen
factum non est) de visibilibus tantum et
terrenis bonis, populo suo olim a Deo
exhibendis, cogitasse, quid inde sequitur,
quod sententiae nostrae opponi possit?
Deus, *auctor promissionum suarum*, intellexit
profecto, quisnam eorum verus sensus
sit; atque non alia genti suae est pollici-
tus beneficia, quam quae hominibus col-
laturus erat; videlicet quae nec oculus
hominis vidit, nec auris audiebat, nec ani-
mus cogitauit; ea promisit et praeparauit

G 3 amato-

*) Plura de hoc arguento scripsimus in com-
mentatione: De regni a vatisbus diuinis
Meffiae ipsiusque populo promissi vera na-
tura atque indole. Sectione I. et II.




amatoribus suis; 1 Corinth. II, 9. prophetae autem e longinquo illa tantum adspiciebant et obscure cognoscebant; scrutati sunt vates, oraculorum quisnam sensus sit, atque, spiritu dei adiuti, aliqua tantum ex parte viderunt, quaenam futura sit Messiae gloria, ipsius cruciatus fecutura, 1 Petr. I, 11. Manet igitur certum, atque extra omnem dubitationis aleam positum, deum *promittentem non esse mentitum*, Tit. I, 2. Rom. III, 3. 4. Omnes has *dei promissiones* conuertere in meras hominum suspiciones et incertas conjecturas, quid hoc aliud est, quam reuelationem, quam *supernaturalem* dicunt, penitus tollere, Mosen et prophetas impostores facere atque aperte contradicere Apostolis, affirmantibus, vates diuinos non esse locutos, quae ipsi pro lubitu ex cogitauerint, sed protulisse oracula diuina, actos a spiritu sancto, 2 Petr. I, 21.

Christum ipsum intellexisse et vere credidisse, esse quaedam vaticinia de se et regno suo a Mose atque Prophetis prolatas, confirmabimus denique rationibus quibusdam, uno in argumento breui oratione comprehensis.

a) Aper-

- a) Apertum est atque certum, Deum praedici curasse per prophetas, Israelitas in vera diu. numinis notitia atque cultu aliquando ceteras gentes initiaturos esse; atque hac verae religionis propagatione effectum iri hoc, ut superstitione et idololatria sensim deleta, accuratior de rebus diuinis cogitandi ratio et virtutis studium promoueatur, veraque animorum felicitas probis piisque dei cultoribus impertiatur.
- b) Certum praeterea et exploratum, Deum praesciuisse, quisnam ex Abrahami posteris magnum hoc emendandi generis humani negotium absoluturus sit. Ipse enim Iesum Nazarenum, ab aeterno ad hoc opus electum destinatumque, constituto a se tempore misit. Eum vero per vates *hunc*, non *alium*, Israelitis promisisse, in aprico est positum. Quis enim est, qui non sponte sua, nobis concedat, *Deum ea, quae facturus erat, non alia, praesignificasse?*
- c) Ex quo cogitur, Iesum, si doctrinae in V. T. libris consignatae veram habuit ipse intelligentiam, animo conuictum fuisse, esse quaedam loca in propheta-



rum libris, quibus sit praedictum, quanta ipsius doctrina generi humano beneficia allatura, quaeue ipfi et agenda et pa-tienda, quinam laborum fructus percipiendi sint.

Nisi igitur velint theologi quidam adeo impudenter iudicare de Christo, ut sine omni solida ratione contendant, ipsum in re tam graui turpiter errasse; confiteantur necesse est, Iesum, et *credidisse*, esse quae-dam oracula de se in prophetarum libris scripta, et eandem hanc suam de vaticiniis sententiam discipulis suis tradidisse eum in finem, ut hanc doctrinam cum omnibus gentibus communicarent. Hoc, constat, ab illis factum esse, dei prouidentia et auxilio, successu mirabili. Quae res indicio est, finem vaticiniorum *prae-cipuum* fuisse emendationem humani generis per religionis christianaæ doctrinam, vi vaticiniorum, euentu comprobatorum, stabilitam et confirmatam.



II.

DE


REGNI A VATIBVS DIVINIS
MESSIAE IPSIVSQVE POPVLO PROMISSI
VERA NATVRA ATQVE INDOLE.

S E C T I O I.

Communis fere cum interpretum antiquorum, tum et plurimorum nostri aevi theologorum est sententia, in locis propheticis, quibus Messias rex Israelis potentissimus describitur, praeter regni spiritualis seu ecclesiae suae formam et excellentiam, contineri nihil. Atque in hac sententia confirmantur locis praesertim librorum N. T. iis, quibus Christus eiusque legati docent, regnum a Iesu constitendum non esse mundanum, non imperium aliquod ciuale, sed regnum, veritatis solummodo et spiritus vi stabiliendum et tuendum. Rectores enim ecclesiae, apostoli videlicet et ceteri euangelii praecones, non esse principes, gentibus imperantes, sed doctores, argumentorum efficacia hominum animos Christo subiicientes Rom. I, 5. 2 Cor. X, 4. etc. Sed aliis interpretibus alia videbantur vera. Habet enim

enim oraculorum ad hoc argumentum pertinentium explicatio permultas difficultates.

Regi videlicet Messiae atque iis, qui cum eo facturi sint, imperium quoddam ciuale in gentes terrae reliquas claris saepe verbis promitti videtur, et praesignificatur etiam huius regni *felicitas* quaedam *externa*, bonorum terrestrium affluentia, honoris que et gloriae, quibus Dei cultores ceteras gentes superaturi sint, magna copia. Huius generis oracula sunt Daniel. VII, 14. vbi haec leguntur: filio hominis, i. e. Messiae, tanta potestas, dignitas, tantumque regnum dabitur, ut *omnes* gentes ac nationes eum colant. Non autem ipsi solummodo, sed et *populo sancto* promittitur regnum in ceteras gentes perpetuum Dan. VII, 27. Pari modo Iehouah Amos. IX, 12. promittit Israelitis imperium in reliquas gentes omnes, Iehouae nomen daturas, seu ipsius religionem professuras. In Michae oraculis Cap. V, 7. 8. et 14. Iacobi posteris, in exilio conseruandis, victoria in gentes cunctas diuinatur: erunt Iacobaeorum reliquia inter gentes multos-
que



que populos tanquam leo, quo grassante,
proterente, rapiente nullus se defendit;
extolleter in aduersarios tuos manus tua,
omnesque excidentur hostes tui. Hanc
Iraelitarum in gentes victoriam, vates
praedicit, fore aliquando *vniversalem* com.
14. Haec Messiae atque subditorum eius
felicitas Psalmo CX, 7. et 8. verbis pae-
ne iisdem delineatur; in Zachariae vati-
ciniis autem Cap. XIV, 17—19. praedi-
ctum est, omnes gentes, quae Iehouae
se non subiecerint, ipsumque coluerint,
poenas daturas atrocissimas.

Ex his aliisque locis his similibus e. c.
Ief. IX, 6. et 7. Ps. II. et XLV. Iudeo-
rum olim doctores collegerunt sententias
suas de regno Messiae terrestri, de victo-
ria ipsius in Romanos et omnes populi
sui hostes, de opibus, prouinciis imperiis-
que, a rege Messia in Iudeos transferen-
dis, et quae reliqua erant Rabbinorum
somnia. — Interpretes christiani cum in-
telligerent, hanc Iudeorum spem vanam
esse

esse atque stolidam; diuersas quaeſiuerunt
explicandorum vaticiniorum vias.

Alii statuerunt, Deum promisſe qui-
dem genti ſuae bona tantum terreftria, ſed
pro ea, qua eſſe soleat mirifica benigni-
tate, longe maiora, ſpiritualia nempe et
aeterna, dediſſe.

Alii, futurum adhuc eſſe regnum ali-
quod Messiae terreftre et politicum, fuſpi-
cati ſunt. Horum vero interpretum du-
plex classis eſt. Ad primam pertinet
magnus olim, ſed nunc eccleſiae eruptus,
Michaelis, qui in interpretandis vaticiniis
quibusdam hanc adhibuit rationem, vt
ſtatueret, futurum, vt Iudei fere omnes
Christi religionem amplectantur, et, in
patriam ſuam reduces facti, regnum na-
tionale Hierofolymis conſtituant. Ad hanc
opinionem diligens ceteroquin et acutus
interpres torquere solebat loca fere omnia,
quae de proſperitate rerum iſraeliticarum
futura, in vaticiniis ad poſtrema mundi
tempora pertinētibus, leguntur e. c.

Dan.



Dan. II, 44. Cap. VII, 13. 14. *) Ps. LXXII, 8. Discipulus quidam huius celeberrimi doctoris, V. Baum, verbi diu apud Batauos minister in libro peculia-ri **) hanc sententium multis verbis ornare argumentisque fulcire conatus est ***).

Secun-

*) Ich kann nicht in die Zukunft sehen, und das noch Bevorstehende nicht so erklären, wie das Erfüllte: allein wenn die nach Röm. XI, 25. 26. sich dereinst zu Christo Bekehrenden und an ihn gläubig werdenden Israeliten wieder in das Land ihrer Vorfahren zurück kämen, da einen sehr blühenden und mächtigen Staat hätten, Christum für ihren König erkennen, so wie ehemal Gott, das heißt, eine Christocratie in eben dem Verstande hätten, wie sie ehemal eine Theocratie gehabt haben, und dieser Staat bis an das Ende der Welt bestände, so wäre alles reichlich erfüllt, was David hier im Gesicht sieht.

**) I. C. Baum *Versuch über das Nationalreich Christi, aus dem Holländischen, von F. G. C. Rütz. Götting. 1783.*

***) Vide quae disputauimus de hoc hujus libri arguento in Ephemeridibus *Theologisch-krit. Betrachtungen, 1783. p. 203.*

Secunda classis interpretum est illa, quae regnum Christi autumat millenarium quoddam futurum, quo rerum Christianarum splendor maximus sit; de quibus, cum illorum placita satis superque nota sunt, plura differere non attinet.

Sunt denique nostri aeui doctores, qui in his oraculis explicandis eo progrediuntur, ut affirment, vatum diu. omnium loca, regnum Messiae cuiusdam et Iudeorum illum colentium, describentia, nulla plane ratione ad Iesum Naz. esse referenda; omnino nihil in libris vet. Test. scriptum esse, quod siue ad seruatorem nostrum, siue ad ecclesiae ipsius formam veram et naturam pertineat. Hi, cum mederi volunt interpretationum morbis, secant et vrunt in libris propheticis et ipsum oraculorum diu. argumentum destruere velle videntur. Recentissimus huius generis auctor est Theologus eruditioonis laude et doctrina ornatissimus S. V. Eckermann apud Chilonienses theologiae Professor meritissimus, cuius verba
ipsa

ipsa huic loco inseram: nach meiner Ueberzeugung enthält das A. T. keine eigentliche Weissagungen von unserm Erlöser, Jesus Christus; keine eigentlich auf ihn beziehenden Beschreibungen seiner Person, seiner Bestimmung, seines Lebens, Leidens und Todes, seiner Auferstehung und Erhöhung, und der durch ihn von Gott den Menschen geschenkten Wohlthaten. Alle Beschreibungen des Messias und der messianischen Zeit, welche die Propheten gegeben haben, sind Beschreibungen eines irdischen Königs aus der Familie Davids, und eines irdischen Reichs. Hanc suam opinionem, vterius explicatam, proposuit in compendio theologiae christianaæ theoreticae Biblico-historicae Altonae 1791. Part. II. §. II — VII. Summa huius explicationis haec est: vates diu. Iudaeis futuri ex exilio reditus in patriam spem fecisse ea conditione, si resipuerint exules et ad meliora consilia rediissent; simul promisisse genti suae insignem quandam felicitatem, rege a Davide oriundō regnante, olim expectandam, si populus prophetas audiret atque

Deo

Deo monenti et iubenti obediret. Cum autem Iudeorum maxima pars consilia prophetarum sperneret atque negligeret, paucos tantum eosque pauperrimos ex oriente in patriam revertisse, ditiores tantum non omnes in Babylonia et Assyria mansisse ibidemque aedes, agros &c. coemisse et mercatura facienda collegisse diuitias. Cum itaque populus non prorsus resipuerit, cum non omnes, sed pauperrimi tantum Iudeorum in Palaestinam redierint, fieri non potuisse, ut ea implerentur, quae de regno quodam florentissimo a veteribus prophetis promissa essent. — In hac systematis Eckermanniani parte, obscura, incerta, sine ratione sumta quaedam esse, facile intelligetur, si placeat ad has quaestiunculas animum aduertere: Vatesne diu. proprio ausu, et Deo non iubente, Iudaeis regni eiusmodi vanam spem fecerunt? Ipsine erroneam hanc opinionem animo aluerunt? Quibusnam argumentis probatur, pauperillos tantummodo Israelitarum rediisse in patriam? Eratne consilio Dei aeterno

H

con-



consentaneum, vt omnes, vt vel plurimi Israelite redirent, an inter gentes dispersi ad ecclesiae Christianae fundamenta iacienda inseruire debebant? Regnum hoc Iudaicum, in Iudea restaurandum, numne maius futurum credamus, Herodis M. regno, quod Dauidici regni spatium exaequauit? Si omnes Iudei in patriam rediissent, Iudea et Galilaea &c. caperne potuisset hunc incredibilem hominum numerum? — Quaerendi finem huc faciamus; quia non disputandi caussa, hunc suscepimus laborem, sed inquirendi in ipsam huius regni Messiani naturam. Constituimus enim apud nos, argumentis quibusdam probare haec tria:


1) Regnum, Messiae a Deo oraculis promissum, non fuisse ex eo genere, quod terrestre et mundanum appellare solemus;

2) sed esse potius idem id regnum spirituale, quod Christus ope legatorum suorum vi veritatis et spiritus in Iudea primum et Galilaea, deinde in aliis etiam terrae regionibus constituit.

3) Hoc

3) Hoc autem Christi regnum hanc peculiarem habere rationem, ut subditi regis coelestis felicitate tandem frui debeat externa; ut sensim sensimque reliquas terrae gentes sibi subiiciant et imperium denique consequantur in orbe terrarum vniuersale vsque ad finem seculi duraturum; hancque ipsam populi sancti gloriam et splendorem externum in oculis prophetarum fuisse descriptum. Ex quo tandem colligitur, eos, qui spirituallia bona tantum promissa fuisse autument, sensum oraculorum vniuersum et late patentem non penitus capere, sed initia tantum regni Messiani, non incrementa et conditionem, quam Deus ecclesiae Christi promiserat, illustrem et gloriosam, in vaticiniis illis comprehensam, videre.

Primum, de quo nobis disputandum est, erit igitur hoc: regnum Messiae a vatibus promissum, non ex *terrestri* et *mundano* genere fuisse, quale ex errore sperare solerent Iudaei, opinando regem Messiam visibilem similemque Dauidi in



Sionis monte regnum Dei administratum; omnes terrae nationes religionem, a Deo per Mosen constitutam, amplecti debere, si noluerint, Iudacis seruire, quippe qui, Romanis ceterisque gentibus, sibi aduersis omnibus, superatis, sub rege suo pacis sempiternae beneficio et omnis generis prosperitate in perpetuum sint vsuri. Antequam autem demonstremus, eiusmodi regnum ciuale et politicum Iudeis, a prophetis promissum non fuisse; fundamenti loco ponamus veritatem, quam si quis reiiciat, is historiae sacrae, in vet. T. libris consignatae, fidem labefactare et ipsa religionis nouae fundamenta concutere videtur, a qua audacia scriptores quosdam nostri aeui prope abesse, compertum habemus. Est autem veritas illa, fundamenti loco ponenda, haec: *quidquid vates, Dei nomine, de regno Messiae in oraculis praesignificarunt, id Deus ipse populo suo promisit*; Prophetae diu. has promissiones siue ore, siue scriptis publicantes, non incertas suas protulerunt opiniones, sed veritates peculari beneficio diu.

diu. sibi traditas et ad publicandum commissas. Hoc si quis neget, is doctrinae Apostolorum aperte contradicit 2 Petr. I, 19. Petrus enim expressis verbis contendit, vates diu. in promissionibus profrendis non pro sua voluntate locutos, sed actos esse a spiritu sancto 2 Petr. I, 21. eundem spiritum, quem Christus Apostolis communicauerit, fuisse et operatum esse in Prophetis 1 Petr. I, 11. Deum ipsum (per vatem Nathan 2 Sam. VII.) Dauidi promisisse regnum aeternum. Act. II, 30—34. Ps. CX. it. LXXXIX, 4. &c. Act. XIII, 22. 23. 34—37. Paullus par modo docet: Deum dedisse promissionem Abrahae de prognato, per quem omnes gentes essent felices reddendae Gal. III, 8—17. Hanc promissionem dedisse eum in finem, ut fundamentum esset fidei certum ad spem stabilem et solatium dulcissimum gignendum Ebr. XI, 1. 13. &c. Has promissiones repetiisse Iesaiam, Ieremiām aliquosque vates diu. Rom. I., 3. 4. IX-XI. Cap. XVI, 26.



Iam vero aequ certum et expeditum
esse censemus hoc: Christum eiusque le-
gatos vno quasi ore docuisse, filium dei
eum in finem in mundum venisse, vt,
quae praedicta essent, in eo et per eum
fierent. Huius generis N. T. loca adeo
multa sunt, vt pauca allegasse sufficiat.
Christus Iudeorum errores refutaturus
Matth. V., 17. &c. ne putate, inquit,
venisse me, vt legem et vates abrogem;
non, vt abrogem, veni, sed vt compleam.
Quid significet vaticinia implere ($\pi\lambda\eta\gamma\sigma\nu$
 $\pi\varrho\phi\eta\tau\epsilon\alpha\varsigma$), satis superque notum est.
Christus autem venit ad regnum aliquod
promissum constituendum, Act. II, 30. III,
33. &c. ergo hoc idem regnum, quod
constituit, non *politicum*, sed spirituale
fuit a Deo promissum.

Quomodo hoc idem Petrus doceat,
memoratu in primis dignum est; meminit
scilicet Act. II, 30. *iurisiurandi*, a Deo
ad fidem firmiorem efficiendam interpo-
siti: sciuit, inquit, Dauides, Deum ipsi
iureiurando promisisse, se se ex eius lum-
borum foetu excitaturum esse Christum
et

et in eius folio collocaturum. Hanc sententiam Paullus confirmauit oratione Act. XIII, 32—34. litteris tradita. Nos vobis nunciamus, quod promiserat maioribus Deus, *id ipsum nobis, eorum posteris, praestitisse*, suscitato Iesu, vt in Psalmo II. scriptum est: tu meus es filius; ego te hodie genui, i. e. regem te constitui in monte Sionis. Promissio haec certissima Dauidi data, celebratur etiam Psalm. LXXXIX, &c. verbis, nullam plane dubitationem relinquenteribus: tu o Deus, tuam fidem coelis in ipsis hunc in modum constituisti: percussi foedus dilecto meo; *iure iurando* promisi Dauidi: ego tuam prolem in aeternum colam tuumque folium construam in perpetua secula. Ex his satis superque intelligi posse censemus, Deum per Christum praestitisse ea, quae promiserit. Cum autem regnum ciuile, externum, quale Iudaei sperabant, per Christum constitutum non sit: recte inde colligitur, eiusmodi regnum mundanum a Deo per vates non fuisse promissum. — Contendit quidem S. V. Eckermann, Iu-




daeos regni mundani spe, per vates sibi
facta, eam ob caussam excidisse, quod
non resipuerint deumque non coluerint
integro animo. Sed hoc assertum oracu-
lis diuinis consentaneum esse, pernega-
mus. Nam in vniuersa religione reuelata
interpretanda et tradenda pro firmo atque
certo constituendum esse censemus hoc:
*Dei promissiones esse firmas atque immutabi-
les, adeo quidem, ut, licet homines a fide,
ei praeflanta, defecerint, ille tamen fidelis
maneat.* Haec ipsa sunt verba Paulli 2 Tim.
II, 13. si a fide defecimus, ille fidelis
manet, se ipsum negare nequit; eademque
habet in epistola ad Romanos cap. III, 3.
Num hominum dissidentia Dei fidem abo-
liebit? Absit! Hoc potius constitutum
manet, *Deum esse veracem, et si omnes ho-
mines mendaces fuerint.* Haec de veracitate
Dei doctrina, solatii plena, iam pridem a
Mose tradita erat in loco quodam illustri,
ad hoc nostrum argumentum vel maxi-
me pertinente: Deus fidelis est, erga gen-
tem perditam profig tamque, suo vitio de-
generatam, liberorum nomine indignam,

Deu-

Deuter. XXXII, 4. 5. Hanc suam in promissis exhibendis constantiam multis exemplis modisque probauit et illustrauit. Quamuis e. c. Israelitarum natio in deserto Arabico multoties defecerit a Deo idolorumque cultu se inquinauerit; nihiloseius tamen Iehouah promissis stetit. Ahasia Hierosolymis regnante, Iudei idolatriae vel maxime dediti, nec Dei praestabant legibus obedientiam, nec fidem habebant eius promissionibus; Deus tamen, quae ipsi huic Ahasiae incredulo ac perfido bona praedixerat, constituto tempore praestitit Ief. VII. &c. De hac sua in promissis seruandis constantia Deus ipse per vatem Nathan olim testatus est. Dauidi enim haec dici iussit: si posteri tui aliquid deliquerint, ego in eos humanis plagis animaduertam; sed mea benignitate eos non priuabo, id est *promissionem meam (de regno perpetuo) non abolebo, regni promissum in perpetuum stabilitur*, 2 Samuel. VII, 13 — 16. His Dei verbis firma fide innitens Dauides, precibus suis ita Deum alloquutus est: o Iehouah Deus, quod tu

H 5

mihi



mihi, tuo seruo, meaeque stirpi pollicitus es, praestabis in perpetuum, stabis promissis; — mea propago felix erit in semipiternum. Com. 24 — 29.

Ne vnuſ quidem legitur ſiue in V. ſiue in N. T. libris locus, quo dictum fit, promiſſiones de regno futuro eſſe a Deo ſublatas eam ob cauſam, quod Israelitae non ad meliorem frugem redierint. Ea potius, quae ab antiquis vatibus de hoc regno ſcripta erant, finito exilio Babylo-nico, a Zacharia et Maleachi repetita ſunt et confirmata. Ille quidem expreſſis verbiſ familie Dauidicæ et omnibus, qui eidem adhaereant, tempora meliora praefiſſicauit Zach. XII, 8. XIII, 1. Hic au-tem (Mal. III, 1.) praedixit, fore, vt le-gatus diu. quem Israelitae auide expete-rent, ad templum ſuum adueniat, adiecta huius promiſſionis confirmatione: ego *Iehouah! non mutor* com. 6. i. e. quae vobis promiſi, fideliter ſeruabo; non enim ſum homo mutabilis, ſicut vos, incoſtanties Israelitae. (1 Sam. XV, 29. Num. XXIII, 19.)

Faciunt

Faciunt autem Prophetae Israelitarum discri-
 men valde memorabile, sed a multis scri-
 pturae s. interpretibus neglectum. Erant
 inter hanc gentem infideles multi et Deo
 animi sensibus factisque aduersi. His ab
 ipso rege Messia poenas infligendas omi-
 nabantur vates diu. (Mal. III, 2 — 5. IV,
 1.) Ceteris autem, probis, Abrahami
 fidem et mores imitantibus, per vates
 laetus nuncius afferebatur, tempus futu-
 rum, quo Deus veracissimus promissis suis
 fidem faciat; gentem enim a se electam
 nunquam reiectum iri; regem ab antiquis
 prophetis descriptum certo venturum Hie-
 rosolymisque regnum nouum stabiliturum
 (Zach. IX, 9.); hac ex vrbe doctrinam
 et religionem Iehouae ceteris terrae gen-
 tibus publicatum atque hac ipsa veritatis
 cognitione nationes, idolatriae deditas,
 Iehouae subiectum iri ita, vt Deus vnuſ
 etiam rex sit gentium (Zach. XIV, 8 — 16.)
 Hanc animis piis fidelibusque datam pro-
 missionem Deus neutiquam aboleuit; in
 hanc omnes, qui ei fidem habebant, vs-
 que ad Christi tempora animos et oculos in-
 ten-

tenderunt; de hac promissione dictum illud est: oraculum non mentitur; si tardabit, id expectato; veniet enim sine dubio. Pertinax non rectam habet mentem, iustus autem fide sua viuet; replebitur enim terra cognitione gloriae diu. ut aqua tegitur mare Habac. II, 3. 4. 14. Hanc Israelitarum in probos et improbos distinctionem Paullus ipse expressis verbis longo sermone explicuit et stabiluit (ad Roman. IX — XI.) docuitque, promissiones diu. *fidelibus* tantum esse scriptas, infideilibus et mente depravata Deo resistentibus *poenas* per Messiam esse constitutas. Manet igitur id verum et extra omnem dubitationis aleam positum, Deum esse veracem, et si omnes homines infideles et mendaces sint. (Ep. ad Rom. III, 4.) Stetit Deus promissis suis. Non dedit, quae Iudei erronea exspectatione praestolarentur; quae ipse promiserat, dedit.

Idem confirmatur et hoc argumento. Regni terrestris, cum diuitiarum aliorumque bonorum affluentia coniuncti spem,

Iu-

Iudeorum animos a veritatis cognitione abalienatos, odio erga Christum compleuisse, neminem fugit, historia huius gentis vel leuiter imbutum. Ex erronea hac rerum visibilium exspectatione in animis eorum sensus isti terrestres et humiles nati sunt, quorum vi et pondere ita deprimebantur, ut bonorum inuisibilium et coelestium pulchritudine capi non possent. Hanc ipsam ob caussam Iesum Naz. oportibus, et gloria externa destitutum, reputarunt et impostoris nomine accusatum, cruci affigendum Pilato tradiderunt. Erronea haec regni mundani spes animos eorum ita excoecauit, ut, Christo in coelos sublato, miraculorum maximorum ab apostolis palam editorum, virtuti pertinaciter resistere pergerent; ut denique a multis deceptoribus pro Messia se venditantibus, vana auxilii diu expectatione lactati, rebellione erga Romanos excitata, rempublicam gentemque suam funditus perderent. His omnibus probe consideratis, neminem fore credimus, qui contendat, Deum ipsum hanc regni mundani

spem



spem Iudeorum animis inieciisse eandemque multis aluisse oraculis. Atque hoc eo minus facere potuit Dei sapientia, quo longius aberat a scopo, per gentem Israeliticam ad salutem generis humani obtinendo, haec regni mundani vana exspectatio. Nam constitutum erat in consilio diu. ut Messias, post mortem rediuius, in throni coelestis sede suprema collocaretur. Iudeorum autem natio non erat a Deo constituta ad occupanda terrae regna, sed ad diuulgandam huius de Christo cruci affixo et in coelum recepto historiae notitiam. Eam ipsam ob rem Deus Israelitas in omnes fere terrae regiones disperferat, ut vbique locorum inuenirentur, ad quos apostolorum oratio se primum conuertere posset. Hac ratione prima ecclesiae christianaee fundamenta innumeralibus in locis iacta sunt.

Regnum terrestre Israelitis a vatibus promissum non fuisse, demonstrari potest etiam hac ratione. Inter omnes constat, Christum eiusdemque apostolos multis sermonum

monum suorum locis contendere, Iudeos oracula, Christum eiusque regnum describentia, irrito modo tractasse et interpretando corrupisse; oculis eorundem velum quasi esse obductum, quoties scripta Mosis et prophetarum legerent 2 Cor. III, 15. Quodsi autem regnum terrestre in prophetarum sermonibus Iudeis praeditum fuisset, verum vidissent oraculorum sensum. Hoc autem si fuisset factum, qua quae ratione Christus et ipsius apostoli illis potuissent obiicere coecitatem in legendis oraculis diuinis? Qua ratione Iesus ipsis discipulis suis protuisset dicere: o socordes, et animi tardos ad credendum ea, quae praedixere vates, Luc. XXIV, 25. Ex his ipsis seruatoris nostri verbis patet, esse quaedam dicta vatuum diu. ad Christi regnum pertinentia, et hoc regnum, a prophetis delineatum, non esse ex genere mundano.

Rationibus a nobis explicatis adhuc unam addemus, ex ipsa historia ecclesiae Christi nascentis petitam. Annales Apostolorum,

lorum, a Luca scriptos, legenti cuius
notum est, oraculorum, in Christo eius-
que morte et resurrectione accurate im-
pletorum, consideratione, incredibilem Iu-
daeorum numerum esse commotum ad re-
linquendam gentis suae religionem et ad
amplectendam nouam, a Iesu sanctam.
Deum omniscium, hanc oraculorum, tem-
pore suo implendorum, ad conuertendos
Iudeos efficaciam praeuidisse, neminem
esse credimus, qui negare audeat. Quis
autem erit adeo in Deum iniurius, vt
statuat, eum nihilominus de Christo eius-
que regno spirituali nulla omnino pro-
mulgasse oracula; de regno autem mun-
dano aliquo, inter Iudeos constituendo,
per prophetas spem illis fecisse vanam,
plurimorum animos corruptem? Quis
est, qui talia ferre possit? Quisnam a se
impetrare poterit, vt credat, Dei filium
et illius legatos *pia aliqua fraude* posthaec
vsos esse in interpretanda scriptura sacra:
contendisse multoties, scripta esse quae-
dam de Christo in Mose, in Psalmis et
prophetarum libris, quae iam fierent, cum
probe

probe scirent, nihil de his omnibus ibidem inueniri? Christus cum contra Iudeos disputaret, Ioh. V, 46. dixit: si Mosi crederent, eos ipsi etiam esse credituros; Moses enim (*haec verba adiecit sine ullo respectu ad vanas Iudeorum de Messia opiniones*) Moses scripsit de me. — Numne respondeamus Christo: errasti Domine! Nihil scripsit Moses, quod ad te et regnum tuum pertineat! —

In alia disputatione huic simili, Iesus errores Iudeorum conuellens, affirmauit: Abrahamum mente vidisse temporum felicitatem, quam hac in vita sua instauratus esset Ioh. VIII, 56. Licetne Christo dicere: falleris; nihil de te vidit Abraham! — Paullus in omnibus fere epistolis repetit ea, quae Deus Abrahomo erat pollicitus Gen. XXII, 18. clarisque verbis Gal. III, 16—28. docuit, semen, Abrahamo promissum, esse Christum cum suis affecclis. Hac in re si apostolus vel ipse errauit, vel mentitus est, vel veritatem simulauit, cur in ceteris ipsi credimus?

I

Veri-



Veritatene, an pia fraude vſus est Deus, in grauifſimo opere, quod vnquam his in terris ad hominum felicitatem promouendam effecit? Num veritatis colore tantum et ſimulatione fundamentum ſtrui poterat fidei certum, cui primi illi Iefu cultores in omnibus animorum periculis et temptationibus conſtanter inniterentur? Videant, qui talia audent iuuentutem docere, quid inde sequatur! — Ex his huc usque breuiter expositis prono quidem alueo fluit hoc, eſſe in vatuum libris loca quaedam regnum Christi *spirituale* concorrentia; ſed vtile pariter ac neceſſe videatur, hanc veritatem prolixiori oratione perſequi. Hoc faciemus in ſchedula, qua ferias paſchales proximas, deo volente, indicemus.

Vos autem, generofiſſimi dilectiſſimi que Ciues! fide firma et constanti adhaeratis dei promiſſionibus; nec ſinete vobis eripi dulciſſimam illam ſpem, quae optimum eſt animi praefidium et in aerumnis ſolatium. Considerate felicitatis a deo
Vobis




131

Vobis oblatae excellentiam! Attolite animos ex hac rerum terrestrium vanitate ad spem meliorum bonorum, quae nullum tempus destruere, nulla tempesta vobis rapere poterit, si deo fidem habeatis, si seruatoris diu. virtutem imitemini! Scripsi in Academia Friderico - Alexandrina in ipsis Natalium O. S. feriis 1799.



I 2

DE



DE

REGNI A VATIBVS DIVINIS
MESSIAE IPSIVSQVE POPVLO PROMISSI
VERA NATVRA ATQVE INDOLE.

SECTIO II.

Regnum, Messiae eiusque a seclis a Deo oraculis promissum, non fuisse ex eo genere, quod terrestre et mundanum appellare solemus, in prima, quam super hoc argumento scripsimus, commentatione, ut argumentis quibusdam probaremus, dedimus operam. Iam ad alteram loci huius partem pergentes, ex ipsis oraculis de regno Messiae a vatibus diuinis prolati, demonstrabimus, *spirituale* regnum esse a prophetis praedictum. Hoc si contendimus,

mus, ii non sumus, qui statuamus, Israe-
 litas omnes huius regni notionem sibi for-
 masse accuratam, et rei sublimitati omni-
 mode conuenientem. Hoc enim pro exigua,
 qua praediti erant, veritatum diu. et re-
 rum coelestium cognitione fieri plane non
 poterat. Ne Prophetas quidem regni
 Messiani spiritualem naturam penitus cogni-
 tam habuisse, multis ex locis vtriusque
 codicis V. et N. Testamenti facile intelli-
 gitur. Quare statim in limine huius dis-
 sertationis Lectores monendos esse cen-
 seo, verum oraculorum diuinorum sensum
 positum esse in notionibus, cogitationi-
 busque, quas Deus, cuius spiritu vates
 in loquendo et scribendo verbo diu. age-
 bantur, cum sermonibus propheticis con-
 iungeret. Sensus hic vaticiniorum *diuinus*,
immutabilis est, *vnis* et *verus*, ab inter-
 prete scripturae sacrae religioso, omni,
 qua potest, cura indagandus, et ex ana-
 logia in primis oraculorum diuinorum con-
 stituendus. Quid doctores Iudeorum,
 siue veteres siue recentiores, in oraculis
 diuinis legendis cogitauerint, qualem regni

Messiani ideam animo conceperint, id nos, hoc argumentum exposituros, non tangit. Quidnam deus hominibus oraculis illis *promiserit*, in hoc disquirendo labor noster est constituendus *).

Promisit autem Dauidi, omnibusque Israelitis, fidem ipsi habentibus, *coetum cultorum suorum*, licet a gentibus idolatriae deditis supprimatur nonnumquam et diminuatur, tamen non funditus extirpatum, nec penitus iri deletum; eundem potius gentibus in societatem adscitis, augendum esse, multis in terrae regionibus propagandum, adeo, ut cultorum dei veri numerus in infinitum crescat et *regni magni et gloriofi speciem induat*. Huius *coetus sancti vnicum gubernatorem et regem fore aliquem ex familia Dauidica prognatum*, qui veri dei notitiam, legem et religionem sensim sensimque omnibus terrae gentibus im-

*) Plura de hoc arguento differuimus in prolungione 1783 edita: de diuinis notionibus cogitationibusque ab humanis in interpretandis vaticiniis caute discernendis.

impertiat, omnesque, qui, fide in ipso posita, obedientiam legibus illius praestinent, felicitatis perpetuae compotes reddat. Hac in regni diu. descriptione cuncta ad hominum animos pertinent, non ad vitae huius *externam prosperitatem.*


Dispiciamus igitur et videamus, an huius *regni spiritualis formam* aliquam inveniamus in oraculis diuinis descriptam. Qua in re fundamenti quidem loco ponendum esse videtur regni huius nomen solemne, quod prophetae multis librorum suorum locis usurpant. Futuram videlicet praedicunt *theocratiam*, seu *dei regnum*, cuius rex, *ipse idem deus omnibus gentibus imperaturus*, ab omnibus colendus, adorandusque sit. Dicite inter gentes: *Iehoua rex est, venit Iehoua, vt imperet vniuersae terrae, iuste regat orbem terrarum*, Ps. XCVI, 10 — 13. *Iehoua rex est, exultet terra, laetentur regiones exteriores omnes, videbunt gentes eius maiestatem*, Ps. XCVII, 1 — 6. Loca similia complura sunt in Psalmis, non mera, quod



quidam sine iusta ratione opinantur, *vota*, non ingenii humani *fiſtiones*, sed rerum futurarum descriptiones, e. c. Ps. XXII, 29 — 32. CII, 23. Oracula enim, in Psalmis, sermonis floribus exornata, et proprio dicendi genere expressa, distinctis verbis, iuramento subinde addito, deus confirmauit in aliis prophetarum orationibus. Ita, reges, inquit Iefaias Cap. XLIX, 7. principesque supplices venerabuntur Iehouam, promissa seruantem. Et alio loco, Iehoua ipse, per me iuro, inquit, et verum dico non reuocandum: *mibi omnes* (etiam deorum cultores) *genua flent*, me omnes profitebuntur, Ioua, de me dicent, verus et summus est deus, Ief. XLV, 23. 24. Sicuti Iehoua Israeltarum gubernator populique sui, ex Aegyptiorum potestate liberati, *rex* fuit; coetu cultorum suorum ipsius regni diuini seu *theocratiae* nomen gerente; (Exod. XIX, 6. Deuter. VII, 6.) ita nouum inter omnes gentes constituendum erat *Iehouae regnum* a deo *ipso* administrandum: Iehoua deus meus apparebit, omnesque cum eo sancti,

sancti, tunc Iehoua totius terrae rex erit.
Gentes quotannis adoratum venient Ie-
houam deum omnipotentem. Zach. XIV,
9. 16, 17. &c.

Ciues huius regni diu. notitia dei sum-
mi instructi esse dicuntur eximia, omnes-
que pii in deum, peccati poena liberati,
iusti et virtutis studiosi; Filii tui (o eccle-
sia noua a me constituenda) erunt omnes
a me edocti Ies. LIV, 13. Non opus erit,
vt alter alterum ad mei cognitionem, sibi
comparandam excitet, sed omnes, inferio-
res atque superiores, iuniores et senio-
res me cognoscent, inquit Iehoua; et sic
ignoscam eorum culpae, nec amplius pec-
catorum eorum memor ero, Ierem. XXXI,
34. Cum quo consentit Iesaiæ oraculum
cap. LX, 18—21. Hanc veri dei et re-
rum diuinarum salutarem notitiam iri pro-
pagatum per omnia saecula, nec, vt an-
tea factum, neglectum et obliuioni tradi-
tum, idem vates praedixit Cap. LIX, 21.
Verborum, inquit Iehoua, quae tu, spi-
ritu meo excitatus, protulisti, semper me-
mor eris, cum tu, tum filii tui, eorum-



que nepotes ad remotissima vsque tempora. Foedus enim nouum, quod deus cum gente Israelitica se pastrum esse, promisit, longe praestantius esse debebat, isto antiquiori, quod cum maioribus illorum, ex Aegypto liberatis, pepigerat. Efficiam, inquit Iehoua, vt legis meae periti sint, eamque probe teneant. Et sic ero eorum deus et illi meus erunt populus. Ierem. XXXI, 31. 32. Coll. Ezech. XXXVII, 26.

*Regni huius diuini sedes primaria esse
debebat vrbs Hierosolyma, seu Zion. Ps.
CX, 2. Ief. LXV, 18. Cap. LXVI, 10.
Veniet enim, inquit Maleachi, ad suum
templum dominus, quem Israelitae requi-
rebant, et legatus foederis, quem cupidi
desiderabant Cap. III, 1. Veniet ad te
rex tuus, o Zion, iustus et seruator.
Zach. IX, 9. Cum dei regnum Israelita-
rum genti promissum esset, ex Iudeis
primi etiam regis *subditi* erant colligendi,
vt posthaec, eorum opera et traden-
dae dei notitiae studio, reliquis terrae
gentibus eadem felicitas conferri posset.*

Hanc

Hanc ob caussam *Israel* dicitur dei *seruus*, Ies. XLII, 19. XLIII, 10. ablegandus ad *reliquas gentes*, vt et hae Iehouam agnoscant et ab interitu seruentur. Aliis librorum propheticorum locis *testes* Israelitae dicuntur constituti ad confirmandam veritatem: praeter *Iehouam nullum esse deum*. Vos *testes* mei estis! inquit Iehoua, et *seruus meus*, quem elegi; ego indico, me *seruaturum esse* (omnes gentes, qui me colant) idque declaro, vos *vero testes mei estis, me deum esse*. Ies. XLIII, 11—13. Cap. XLIV, 8. Per hos legatos et numinis sui *testes* reliquis gentibus se deum dici curauit. Respicite ad me et salui eritis, omnes populi! ego sum deus et nullus aliis, Ies. XLV, 22. Nec inutile fore hoc Israelitarum in erudiendis ceteris hominibus studium adhibitum, deus iuramento confirmauit, Ies. LIX, 7. Eosdem verae religionis, inter gentes declarandae, felices progressus Dauides descripsit his verbis: *prae rore*, qui ex vtero aurorae procedit, *ros tibi erit prolis tuæ copiose*, Ps. CX, 3. Iesaias autem: *Minimus, inquit, Israelitarum crescit in mil-*

le



Je et in numerosam gentem Cap. LX, 22.
 Hoc Messiae imperium non terrae sanctae
 finibus circumscriptum, sed fundamentis
 in Galilaea atque Iudea positis, longe
 lateque in omnibus terrae regionibus pro-
 pagatum iri, saepius a prophetis praedi-
 ctum est. Messias multas in gentes regnabit
 populosque potentes eosque remotissimos ad
 suam disciplinam formabit. Ex Zione enim
 lex (nouae religionis doctrina) innotescet
 et edicta Iehouæ ex Hierosolymis. Mich.
 IV, 2. 3. Parum enim est, inquit Deus,
 vt mihi seruias, ad restituenda Iacobi
 stemmata; constituo te quoque *doctorem*
gentium, vt salutem meam extremis terrae
 regionibus annuncies. Ies. XLIX, 6. *).

Cum Iacobi progenies Dei prouidentia
 eum in finem a ceteris gentibus separata
 esset, vt per eandem vera *rerum diuina-
 rum notitia* suo tempore cum ceteris ter-
 rae incolis communicari posset; animi au-
 tem

*). Siue haec verba ad Messiam trahas, siue
 Iesaiam de se ipso locutum esse, statuas, verae
 religionis propagationem et inter gentes con-
 stituendum cultum dei semper continent.

tem hominum non armis, non vi, nec
 aliis huius generis adminiculis de religio-
 nis reuelatae veritate conuinci queant,
 sed institutione et argumentis certis com-
 mouendi sint et eo adducendi, vt assen-
 sum doctrinae praebeant: ex ipsa rerum
 natura fluit hoc, arma, quibus Israelitae,
 veri dei cultores, in superandis nationi-
 bus vti deberent, non esse ex bellico ge-
 nere, sed ex eo, quod *moralē philosophi*,
 et *spirituale theologi*, cognominare solent.
 Nec hoc huius rei momentum silentio
 praeterierunt vates diuini; rex enim, so-
 cietati sanctae a deo praeficiendus, pro-
 phetae simul personam gerere dicitur,
 doctorisque, spiritus s. donis largiter in-
 structi, pietate virtutibusque ornati. Ies.
 XI, 2. &c. Ipso regnante (verba eius-
 dem Iesaiæ sunt) vniuersa terra rerum
 diuinarum cognitione erit plena, comm. 9.
 Notitia sui seruus hic dei iustus piusque
 multos iustos reddet, seu in vero dei
 cultu instituet et ad virtutis studium ex-
 citabit, Ies. LIII, 11. Ideoque praedici-
 tur aseclis suis comparaturus felicitatem,
 non modo externam, in sensus incurren-

tem,




tem, in opum affluentia positam, quae eripi facile possit et destrui; sed animorum salutem ex vero dei cultu et pietatis virtutisque studio natam, Ier. XXXI, 33. Ies. LIV, 13. 14. Ex his omnibus efficitur, vera esse, quae supra posuimus, in vatum oraculis praedici futurum aliquod *regnum dei spirituale* seu *moralē*, veritatis vi et notitia condendum, inter Israelitas primo constituendum, ad reliquas deinde gentes propagandum, ut tandem, idolatria abrogata, veri dei cultus stabiliatur in omnibus terrae regionibus.

Hoc etiam multi Iudeorum doctores, obscure licet et ex parte tantum, videbunt. Messiam enim sperabant non modo regem populi, sed eundem etiam *prophetam* et doctorem veritatis perfectissimum, (1 Maccab. XIV, 41. Ioh. I, 21. IV, 19. VI, 14.) qui cultores suos, veritatis cognitione instructos, deo acceptos gratosque fit redditurus, ideoque ex omni parte beatos. In eo tantummodo fallebantur Iudei, quod, praeter hanc internam beatitudinem, externam etiam a Messia, his in terris

terris mansuro, et in gentes dominaturo,
 exspectabant felicitatem, quae *primis* Mes-
 siae affecis et subditis eius, immediate
 post eius a terra discessum viuentibus,
 promissa non erat. Christus itaque, ut
 erroneam hanc Iudeorum animis eriperet
 opinionem et oraculis satisfaceret, regis,
 non splendidi, et *terrestris*, sed *spiritualis*,
 prophetae nimirum et doctoris personam
 geslit, Matth. XXI, 1 — 5. in paupertate
 vixit spontanea, (2 Cor. VIII, 9.) *) lega-
 tos et ministros ad condendum regnum
 suum elegit homines ex plebe, auctorita-
 tate opibusque destitutos, hosque aposto-
 los suos noui *spiritualis*, non mundani,
 regni constituit principes Matth. XIX, 28.
 Hi autem ad plantandum Dei regnum ad
 Iudeos et gentes ablegati, in sermoni-
 bus suis multis modis repetuere hanc
 doctrinam: *omnes Dei promissiones imple-*
tas esse in Christo et per Christum, 2 Cor.
 I, 20; Deum ea, quae per vates praedici
 curasset in sacris litteris de filio suo, orto

ex

*) Vid. S. V. Rauii nostri commentationem:
 Brevis inquisitio in causas, cur I. C. pau-
 pertati se subiecerit, praecipuas 1788.



ex Dauidis semine, per Iesum Christum,
gentibus pariter atque Iudeis exhibuisse,
Rom. I, 2. 3. Atqui de hoc regno *spirituali*
sermo habetur in omnibus librorum
N. T. locis, Christi ecclesiam describen-
tibus; hoc regnum Iohannes et Iesus ipse
eiusque legati annunciarunt, Matth. IV,
23. IX, 35. Luc. IX, 2. &c.; hoc Christus
mansuetis tantum et humilibus, vera pietate
et virtutibus exornatis promisit, Matth.
V, 3 — 10. Luc. XVIII, 16. huius regni
beneficia et iura *spiritualia tantum* sunt et
coelestia; administratores eiusdem doctores,
verbo Dei animos dirigentes et voluntati
diu subiicientes, hostes autem huius regni,
veritatis nempe aduersarios, *armis spiri-*
tualibus, doctrina miraculisque vincentes,
1 Cor. II, 4. &c. 2 Cor. X, 4. 5.

Quamuis autem Christus, diu. rex, vi
veritatum salutarium mentibus inprimis
imperet, neque externa vi et armis gentes
sibi subiiciat: nihilominus ipsius regnum,
longe lateque in terra dispersum, externa
quadam gloria circumfusum iri praedice-
batur, et in altum honoris et maiestatis
culmen

culmen euectum. Atque haec *regni christiani prosperitas* multis vatum sermonibus eleganter exprimitur et splendidis imaginibus exornatur. Antequam autem haec prophetarum oracula in medium proferamus, de iusta illorum interpretandorum ratione pauca praemittenda esse, censemus. Primum hoc est: Omnia, quae Christi regnum illiusque felicitatem describunt, oracula, non ad prima tantum post Christum natum secula referenda, sed ad omnem posteritatem, usque ad ultimum, qui illucescat terrae, diem, extendenda esse. Beneficia enim, veri Dei cultoribus promissa, non uno in aeuo eisdem exhiberi poterant, sed sensim sensimque, prouti rerum natura ferebat, in ecclesiam conferebantur. Haec sapiens rerum diuinarum et ecclesiasticarum administratio, ut facilius intelligatur, duas constituamus ecclesiae Christi periodos, primam *humilitatis et depressionis*, alteram *gloriae et exaltationis*.

In primo illo temporis ambitu ecclesiae plantandae nulla ei erat externa species,

K

nul-

nullus honor, nulla fere requies in terris,
nullum imperium ciuile, sed vbique loco-
rum contumelia, contemtus, persequutio,
suppressio. De his coetus christiani fatis
loquuntur Christus eiusdemque legati mul-
tis sermonum et litterarum suarum locis
e. c. Matth. V, 10. Cap. XXIV, 8. Ioh.
XII, 25. Cap. XV. et XVI. 1 Petr. II, 21.
IV, 12. 2 Tim. III, 12.

Periodus altera incipit seculo post C.
N. quarto. Constantino M. imperatore
Christi ecclesia, aerumnis atque miseriis
exantlatis, laetiora paullatim vedit tem-
pora; persequutionem sequebatur pax et
tranquillitas. Christi cultores, antea ad
humum depressi, extollebant capita impe-
riumque *capiebant in gentes pariter atque Iudeos*. Regna mundi sensim sensimque
tradebantur Christo, eiusdemque populo
victori, atque ad hanc alteram ecclesiae,
his in terris iam triumphantis, periodum,
trahenda sunt prophetarum oracula, quae
pacem, gloriam, multaque alia magnifica
promittunt dei cultoribus. Iesaias inpri-
mis perquam copiosus est in delineanda
hac

hac externa ecclesiae felicitate. Multis
 enim verborum figuris describit meliora
 tempora, Dei cultoribus promissa. Filii
 diuini principatum, praedicit, amplissimum
 fore, pacisque in ipsius regno nullum
 finem, Cap. IX, 6; totum terrarum or-
 bem Dei cognitione plenum, Cap. XI, 9.
 verum Dei cultum in locis desertis stabi-
 litum iri; pacem eo tempore et tranquil-
 litatem diutissime duraturam; regem Mes-
 siam multas gentes et populos validos ut
 praedam diuisurum, Cap. LIII, 12. reges
 eius populo ministraturos; gentes et regna,
 quae se sancto huic populo non subiece-
 rint, destructum iri, et extirpatum, Cap.
 LX, 10. 12. Eo tempore ab ortu solis
 usque ad occasum magnum fore inter
 gentes nomen Iehouae, et *ubique locorum*
 suffitum in honorem ipsius accensum iri,
 h. e. omnes tandem gentes Deum vnum,
 verum veneraturas, atque sic regnum
 Messiae vniuersale his in terris futurum
 esse perpetuum: regiam enim potestatem
 cum dignitate, quae solet esse regum ter-
 restrium omnium totius terrarum orbis,
 concessum iri populo sanctorum, culto-



rum Altissimi. Hoc Dei supremi regnum aeternum fore, huic omnes omnium regnorum ciues obedientiam praestituros, Dan. VII, 27.

Haec itaque ecclesiae diuinae felicitas oraculis eiusmodi descripta, initia sua habuit et progressus. Fundamenta ad hanc restaurandam externam prosperitatem iacta sunt finito exilio Babylonico, vrbe et templo Hierosolymitano restituto, Serubabele regnante, Nehemia, Esra &c. rerum publ. et facr. administratoribus. At, quam exigua fuerit, quam minus constans haec gentis Israeliticae salus, omnibus notum est. Quae posthaec infsecuta sunt tempora, adeo erant turbulentia, miseriis atque aerumnis oppressa, vt ne umbra quidem huius felicitatis promissae compareret. Herode regnante miserior adhuc erat conditio gentis Iudaicae. At enim uero stetit tandem promissis Deus immutabilis, verisque Israelitis, regni sui subditis, Messiae cultoribus, hanc largiter concessit felicitatem atque salutem, ad vitam bene beatitudine agendam, ad vim et imperium pertinen-

tinentem. Qua ratione hoc factum sit, dictu difficile non est. Legatis seruatoris nostri ad gentes missis, nationibus hisce veritatum lumine collustratis, res tandem eo perducta est, ut vniuersae nationes Christo nomen darent illumque regem suum et dominum colere inciperent. Hoc modo veritatis efficacia et ope fidei, qua homines Christi doctrinam amplectebantur, factum est, ut primum magna Asiae et Africæ pars, deinde vniuersa fere Europa regis nostri coelestis sceptro subiiceretur. Superauit igitur diu. rex aduersarios suos, Iudeos et idolorum cultores armis primum spiritualibus, Dei verbo, miraculorum vi et spiritus s. virtute. Postquam autem potestas ecclesiae ipsius tanta ceperat incrementa, ut vniuersa regna occuparet: christiani hostium suorum impetus vi et ferro etiam repellere et poterant, et debebant. Huius generis victoria in Psalmo CX Messiae promissa est: Iehoua, qui te, o Messia! adiuuat et defendit, caedet reges; omnia cadaueribus implebit; calcabit capita hostium, per multas terras postratorum. Subiecit pro-

K 3

fecto



fecto sibi Christus hostes Iudeos mirabiliter prouidentia sua, usus exercitu Romanorum; vicit deinceps cultorum suorum armis multas gentes, quae contra ecclesiam suam hostili animo insurgerent; sensim sensimque vincet et reliquos terrae populos, adeo, ut totus terrarum orbis tandem aliquando cultoribus ipsius subiiciatur. Quae de hisce populi christiani victoriis diximus, absit, ut ita velimus intellecta, ac si nobis licitum esset, ferro et flammis propagare doctrinam, a Christo nobis traditam; sed hoc solum modo dicere voluimus, promissum esse Messiae a seclis imperium, in omnes gentes tandem aliquando adipiscendum. Lente quidem procedit hoc Dei opus; sed fundamenta huius imperii iacta sunt; Deus ubique gentium adest populo suo, et non modo veritatis cognitione et euangelii sui virtute omnes superabit terrae nationes, sed etiam orientationis bellis, pro sua, qua omnes res gubernare solet, sapientia, in omnes regni sui aduersarios victoriam nobis largietur, et imperium nunquam ecclesiae eripendum. Magnam hanc prosperitatis et gloriae

riae ecclesiae adferendae spem aluisse
 apostolos eandemque discipulorum suorum
 animis instillauisse, ex multis librorum
 suorum locis intelligi potest et confirmari.
 Huc pertinent in primis vaticinia Ioannis
 in Apocalypsi a Cap. XII. vsque XIX. vbi
 sequentia multaque alia his similia legun-
 tur: Nunc victoria et potestas et regnum
 Deo nostro est et Christo ipsius Cap. XII,
 10. Adorate Deum omnes populi et Deo
 gloriam tribuite, Cap. XIV, 6. 7. Omnes
 gentes oratum venient coram Te, o Do-
 mine! nam tua iura (religionis tuae praec-
 cepta) illis patefacta sunt, Cap. XV, 3.
 Regnum adeptus est Deus omnipotens,
 gaudemus et exsultemus eique gloriam
 tribuamus, Cap. XIX, 7. Quae verba
 Cel. Eichhorn ita est interpretatus: laet-
 temur Deoque gratias agamus, quod ab
 hoc tempore Christiani sub Messiae tute-
 la securi et beati sint victuri. Messias
 enim est regum rex et dominorum domi-
 ninus, Com. 16. Vide ad haec loca, quae
 Cel. Eichhorn eruditæ scripsit in Com-
 mentario in Apocalypsin. Hoc est ipsum
 id, quod paucis quidem, at valde com-



memoratu dignis verbis docet Paullus ad Rom. IV, 13: ratione iustitiae fidei (non ratione legis) promissum est Abrahamo et eius posteritati, *orbis haeredem fore*. Nec dubium mihi est, quin de hoc dominio et Paullus loquatur, 1 Cor. VI, 2. coetum, qui Corinthi erat, Christianum ita alloquens: an nescitis, sanctos in *mundum imperium* habituros? Respicere videlicet mihi videtur Apostolus ad locum Danielis capite septimo, supra in medium prolatum.

Ex his omnibus efficitur hoc, esse regnum Christi spirituale quidem, sed habere promissiones felicitatis externae, et imperii orbis capessundi. Quare iure nostro contendimus, maximam partem *proprie*, non metaphorice intelligenda esse vatum diu oracula regni Messiani splendorem describentia.

Quia autem mens humana rerum futurarum ideas sibi non alio modo potest formare, quam rerum praeteritarum et praesentium notionibus in subsidium adhibitis;

bitis; ideo Deus pro admirabili sapientia sua regni Messiani gloriam, his in terris futuram, imaginibus delineari curauit a Dauidi ipsiusque *regno* petitis *). Cum huius, quam habent Christi et Dauidis, regna, similitudinis obseruatio magnam habeat vim ad iustam et accuratam oraculorum diu. interpretationem et in multis explicandis N. T. locis vtilitatem preebeat insignem: decerpamus partes quasdam huius argumenti et breuiter describamus:

i) Ob hanc in primis similitudinem Messias ipse *Dauidis* nomine insignitur Ezech. XXXIV, 23. Hoc quidem in oraculo regni Messiae prosperitatem descriptam esse, ex ipso orationis contextu sat superque patet; promittitur enim Israe litis com. 28, eos nunquam in posterum a gentilibus in feruitutem redactum iri; describitur aureum seculum com. 25. et 26,

K 5

sicuti

*) Ingeniose, vt multa alia, hoc de argumen to differuit Ven. Hessius in libro: *de regno Dei*, Pars I. pag. 248. &c.

sicuti a Iesaiā descriptum erat cap. XI.
Idem probari potest alio Ezechieli loco,
cap. XXXVII, 24 — 28. *Dauides* meus eo-
rum rex erit; felicitatem eis largiar in
aeternum duraturam; sic intelligent Israe-
litae, me Iehouam eos mihi sanctificasse,
dum sacrarium meum apud eos erit in
perpetuum. Ad haec loca Christum re-
spexisse, cum se Ioh. X. vnicum Israelis
pastorem nominaret, dubio vix expositum
est.

2) Hanc ob similitudinem Dauidis in
hostes gentis suae victoria adhibetur ad
deumbrandam Christi in aduersarios suos
victoram. Ita Deus Psalm. II, 8. 9.: da-
bo tibi gentes in hereditatem, et terrae
fines in possessionem. Conteres eos sceptro
ferreo, vt vas fictile eos confringes. His
imaginibus usus posthaec est Zacharias,
Ioannis Baptiste pater Luc. I, 69 — 71:
erigit nobis Deus praesidium et robur sa-
lutis in domo *Dauidis*, serui sui, quemad-
modum *promiserat* ore sanctorum suorum
vatum, quo vindicemur ab hostibus nostris
et

et ex manu omnium, qui nos odere. —
 Interpretes, qui haec omnia trahunt ad
 hostes *spirituales* a Christo vincendos, sen-
 sum horum dictorum non penetrare vi-
 dentur. Proprie intelligenda sunt haec
 verba, non allegorice. Coetus enim cul-
 torum domini nostri Iesu Christi vere li-
 beratus est ex potestate hostium; multo-
 tis victoram reportauit ab aduersariis
 suis, nec vñquam fiet, vt denuo siue a
 gentibus, siue a Iudeis subigatur.

3) Ob hanc similitudinem Messiae
 regnum montis *Sionis* nomine insignitur;
 quia Christus in ecclesia sua habitare di-
 citur. Hoc Ps. CX. tanquam classico lo-
 co, et multis aliis librorum propheticor-
 rum locis factum est, e. c. Ies. LXII, 1.
 LX, 14—22. Nam insigne hoc oracu-
 lum non iis temporibus impletum esse,
 quae inde ab exilio bab. vsque ad Mes-
 siae aduentum defluxerunt, ex commate
 20 et 21. intelligitur; vbi leguntur ver-
 ba: lux ero perpetua; ciues tui *omnes*
 pii erunt, *perpetui* terrae *possessores*. Accu-
 rate



rate b. *Dathius* ad hoc caput in obseruationibus: vtique existimo, inquit, vatem simul animo suo contemplatum esse tempora Nou. Test. et cum initia ecclesiae christianaee, quibus ingens ex omnibus gentibus multitudo ad eam confluebat, tum defensionem eius perpetuam, qua sub regē suo salua et incolumis futura sit, cecinisse. Hanc eandem ob rem ecclesia Christi a scriptoribus N. T. *mons Sion* appellatur, Ebr. XII, 22. et Gal. IV, 26. atque a Ioanne Apocal. XIV, 1.

4) Sicuti Dauides rex erat *totius terrae Cananitiae*, ita Messias *totius terrarum orbis*; sicuti Daudis posteri thronum ipsius occuparunt vsque ad destructionem virbis et templi et eorundem restaurationem sub Serubabele; ita Christus regnum suum in vniuersa terra extensum, conseruabit et reget vsque ad destructionem terrae et creationem noui coeli et nouae terrae, 1 Cor. XV, 28. 2 Petr. III, 6. Daudis tempore Deus colebatur in monte Sion *sacrificiis* aliisque ceremoniis, ab ipso
prae-

praescriptis; hanc ob rem a Prophetis
praedicitur, futurum esse, vt omnes gen-
tes, in Iehouae religione imbuendae, Deo
sacrificia offerant hoc in monte, sive Hierosolymis,
Ief. LXVI, 22. et 23. Zachar. XIV,
17—19. coll. com. 9. Cuius autem ge-
neris haec sacrificia sint, apostoli saepius
docent, i Petr. II, 5. Rom. XII, 1. Cap.
XV, 16. &c.

Iam his omnibus praestructis redea-
mus ad loci, in prioris commentationis
vestibulo ad explicandum propositi, inter-
pretationem. Hac enim similitudine, in
ipsa regni Messiani et Dauidici natura et
indole sita, bene considerata, facile est,
rationes indagare, ob quas Deus Messiam
a Maria nascendum hac sollemini formula
prae significari curauerit: *filius tuus erit*
magnus &c. eique dabit Dominus Deus so-
lrium Dauidis, eius parentis, isque in Iaco-
baeorum domum regnabit in perpetuum, nec
ullus eius regni finis erit, Luc. I, 32. et 33.

Cum hoc ipsum huius loci argumen-
tum per vniuersam hanc commentationem
per

per partes quasi singulas considerauerimus, paucis verbis opus erit, ad explicanda tria, quae potissimum continet, momenta.

1) Primum quidem angeli sermone promittitur Messiae *thronus Dauidis*, patris sui. Vocabulo *throni* regni notionem subesse, neminem latet, qui loquendi usum, prophetis consuetum, vel leuiter attigit, Ies. IX, 7. Ierem. XIII, 3. Cap. XVII, 25. Cap. XXII, 2. 4. Ex quo efficitur, sub *throno Dauidis* hoc loco intelligendum esse regnum Dauidi olim promissum, *sempiternum* videlicet, et *his in terris perpetuum*, 2 Sam. VII. Ies. IX, 5. 6. Sicuti autem regnum Dauidis coetus erat hominum, unum verum deum colentium; ita Messiae his verbis promittebatur imperium in eos, qui summum numen rite sint veneraturi. Dauidis regnum stabilitum erat eum in finem, ut notitia veri dei eiusdemque cultus inter homines conseruaretur; pari modo Messiae id officium iungebatur; rex enim Dauidi similis debat

bebat doctrina et veritatis notitia nationes instruere et verum dei cultum inter easdem propagare. Dauides dominabatur Israelitis non modo, sed et gentibus in Palaestina relictis; simili ratione Christo his angeli verbis promittebatur imperium in gentes deum verum colentes et reliquas nationes omnes. Quidquid enim in regno Dauidis boni et praeclari inueniebatur, id in Messiae regno longe magnificientius resplendescere debebat.

2) Messiae tribuitur imperium in *familiam Iacobiticam* seu in *Israeliticam gentem*. Sub hac familia Iacobaea intelligendus quidem est in primis populus Iudaicus, sed non exclusis gentilibus, qui cum Iacobitis in vnam coaluerunt familiam. Fiducia enim in Christo posita *dei*, ideoque et *Abrahae filii* facti sunt omnes, antea siue Iudaei, siue ethnici fuerint, Gal. III, 27—30. Haec sancta gens, ex Iudeis ceterisque nationibus collecta, atque composta. *Ιερανλ τε Θεος verum, diuinum Israel cognominatur*, Gal. VI, 16. Omnes enim veri



veri Christi affeciae vera etiam sunt Abra-
hae posteritas, Rom. IX, 8. Gentiles par-
ticipes facti sunt radicis ac pinguedinis
oliuae sacrae, rami huic oliuae insiti, Rom.
XI, 17. 18. Ex his locis omnibus multis-
que aliis fatis superque intelligitur, no-
men *familiae Iacobiticae* comprehendere ci-
ues regni Messiae omnes, cum ex Iu-
daicis, tum ex gentibus collectos.


3) Hoc Messiae regnum denique *aeter-
num* dicitur eam ob caussam, quia dura-
bit usque ad nouissimum diem, quo rex,
a coelo venturus, coetum electorum ci-
uium suorum in beatorum sedes translo-
cabit, regnum traditus patri, i Cor.
XV, 24—28.

Haec huius loci explicatio confirma-
tur multis Apostolorum sermonibus, ex
quibus pauca protulisse sufficiat. Ita
Petrus Act. II, 30. deum, dixit, Davidi
iureiurando promisisse, se ex eius poste-
ris aliquem esse fuscitaturum, in eius *solio*
collocandum; atque, hunc Christum esse,
statim

statim addidit. Simili ratione Paullus Act. XV, 16. hoc de Messiae regno sermocinatus est. Instaurandum enim Christi regnum descripturus, verba subiicit dei: Collapsum, inquietis, *Dauidis tabernaculum* reficiam, eiusque diruta erigam, ut hominum reliqui et omnes, a me denominatae gentes, dominum quaerant et venerentur. Huius regni erigendi initia solemnia ipsa *resuscitatione* Messiae, pro nobis mortui, facta esse, idem Paullus Act. XIII, 33 — 37. docuit his verbis: nos, (apostoli) vobis nunciamus, quod maioribus promiserat deus, id eum nobis, eorum posteris, praestitisse, *fuscitato Iesu*, ut in Psalmo II. scriptum est: tu meus es filius; ego te hodie genui. — Dauides quidem mortuus et corruptionem passus est; sed non passus est corruptionem, quem Deus fuscitauit, *Christus*. Hic igitur rex est ille omnium praestantissimus atque aeternum regnaturus, quem vates in suis oraculis in Zionis monte initiandum praedixerunt; quem et nos his ipsis festis diebus pia et laeta mente ce-

L

lebra-



lebramus; sub cuius regimine beati erimus, si promissionibus ipsius fidem habuerimus, praeceptis et legibus praefiterimus obedientiam. Agite Ciues optimi! colite Deum animi pietate; colite Christum virtute et vitae sanctimonia!

Scripsi in academia Regia Friderico-Alexandrina in ipsis feriis paschalibus
c. 1692.

DA

III.
DE
**DIVINIS NOTIONIBVS
COGITATIONIBVSQVE AB
HUMANIS
IN INTERPRETANDIS VATICINIIS
CAVTE DISCERNENDIS**

* * * * *


Cum ordo theologicus iam in eo ver-
setur, ut virum doctissimum, de Aca-
demia nostra bene meritum*), ad supremos
in theologia honores promoueat, atque
huius actus solemnitas sit more consueto
prolusione publice indicanda; hoc munere
perfuncturo mihi liceat in huius disserta-
tionis limine Collegam nobis coniunctissi-
mum iis fere ipsis verbis producere, qui-
bus b. Ernestius ὁ πατὴρ per similem occa-
sionem usus est **): quod et nos nihil ac-
commodatius ad eius personam videamur
facturi, quam si hoc differendi officium ad
aliquam litterarum et doctrinae partem di-
rigamus, in qua eius studium in primis
elaborauit, hoc est, ad librorum sacro-
rum in primis hebraicorum interpretatione-
nem, et quidem ad pulcherrimam illorum
partem eandemque difficultissimam, quae in
expli-

*) S. V. Hufnagelium, qui Francof. ad Moen.
inter ministros eccles. Senioris locum occupat.

**) In prolus. Narratio critica de interpretatione
prophetiarum Messian. Opp. p. 495.


explicandis Psalmis et libris propheticis versatur, quaeque interpretandi difficultatibus omnes libros humanos tantum superat, quantum origo illorum ab origine ceterorum differt, et argumentum omnes omnium hominum cogitationes antecellit.

Vatum autem diu. sermones cum in multis variisque et grauibus momentis ab auctorum profanorum disputationibus et scriptis differunt, tum vel in eo in primis, quod non tantum cogitationes et animi sensus ipsorum loquentium scribentiumue verbis exprimunt, sed et ciusmodi continent decreta diuina, quae latissime patent, tum rerum grauitate, tum temporum, quae concernunt, extensione, adeo quidem, vt nec ipsi viri Θεοπνευστοι, nec ceteri aetatis suae homines argumenti amplitudinem valerent penitus intelligere atque animo comprehendere. Huius generis sunt potissimum ea vaticinorum loca, quibus Seruatoris diu. persona, conditio et habitus, agendi et patiendi ratio, imperium et gloria sempiterna describuntur. Ab harum rerum penitiori cognitione aucto-



res diu. variis arcebantur obstaculis. Primum quidem erat, quod res descriptas, tanquam ex longinquo in distantia quadam intuentes, obscure tantum cognoscerent; deinde quod natura essent e spiritali genere atque sic comparatae, ut ab hominibus Israelitis, rebus sub sensus cadentibus maxime adsuetis earundemque valde cupidis, difficile intelligerentur; denique quod hae res, suapte natura humano ingenio absconditae, imaginibus aenigmatum more, et tanquam in speculo, formae tantum similitudine depingi et exprimi possent. Quam ob rem ipsi vates diuini oraculo quodam diuinitus accepto, sciendi cupiditate allecti, omnes subinde animi intendebant neruos ad sensum, imaginibus eiusmodi latentem, perscrutandum et eruendum. Quod negotium tantas nonnunquam habebat difficultates, ut moesti et tristes desiderio intelligendi fatiscerent; cuius rei illustre habemus in Daniele exemplum Cap. VIII, 27. Quo referendum est et illud Petri in 1 Epist. Cap. I, 11. prophetas, aientis, scrutatos esse,

esse, qualenam sit, quod praedicerent et
quaenam tempora spiritus, quo ageban-
tur, indicaret. Quodsi igitur de *oraculi*
diu. alicuius *sensu* et *argumento* quaeritur,
id cogitationibus vatis diu. a quo prola-
tum et litteris memoriae proditum est,
neutquam absoluitur, nec finibus circum-
scribitur adeo angustis, sed longe latius
patens omnia comprehendit, quae *Deus*,
auctor oraculorum princeps, bis *ipsis verbis*
et *imaginibus genus humanum per plura se-
cula edocere voluit.* Nam prophetae vati-
ciniis suis non sibimetipsis nec suae aeta-
tis tantummodo hominibus, sed et poste-
ris iisque vel in primis inferuiebant, qui
oculis suis et auribus percepturi essent,
quae illi obscure modo et e longinquo
intuerentur. Cuius rei veritatem idem
comprobat Apostolus in I Epist. Cap. I,
I2. οὐχ εἰποτεις, inquiens, ημιν δε διηγονεν
αυτα &c. Atque huius sententiae vis
magna est in vtramque partem, et ad
interpretanda oracula diu. et ad refutan-
das errorum opiniones, quibus a recta
intelligendi ratione theologi quidam seu-



cantur. Ea videlicet est promissionum diu.
excellens vis et vbertas, vt solatio esse
queant multis hominum generibus, seculi-
lis multis, se inuicem excipientibus, in
variis calamitatibus et discriminibus rerum
constitutis; siquidem omnes, qui Deo fi-
dem habeant et in ipsius veritate exspe-
ctionis suae firmum ponant fundamen-
tum, in eandem quidem rem a Deo pro-
missam oculos tenent defixos, vnuisque
vero pro animi sui indole, pro cogitandi
ratione tibi solita, et rerum circumstan-
tium oonditione tristitiae suae accommoda-
tum valet consequi solatium et curarum
ieuamen. Ex his omnibus collectis intel-
ligitur, *vnum* quidem esse et manere vati-
ciniorum *sensum litteralem*, sed eundem nec
a prophetis ipsis penitus fuisse intellectum,
nec a reliquis lectoribus vna eademque
ratione perceptum, quippe qui notiones
diuinias, imaginum luminibus atque colo-
ribus tanquam in tabula delineatas, e re-
gione sua, pro suo cogitandi modo adspicerent.
Quae cum ita sint, ad rectam
vaticiniorum interpretandorum rationem
vel plurimum faciet accuratum discrimen
diuinarum humanarumque cogitationum.

At-

Atque hoc in argumento tractando id
primum negotii nobis iniungi sentimus,
vt definiamus, quid et quale sit, quod
cogitationes siue notiones diu. in oraculis a
vatibus s. prolatis, dicamus? Compre-
hendimus autem his vocabulis *ideas rerum*
futurarum auctore Deo per vates s. verbis
expressas, bisque ipsis rebus accurate conspi-
rantes. Has ideas rerum futurarum veras
et adaequatas, vt ab humanis cogitationi-
bus discernamus, iuuabit meminisse loci
cuiusdam, qui in theologia aliqua prophe-
tica in classicis esse meretur. Est sermo-
nis Iacobi in confessu Apostolorum, Hie-
rosolymis congregatorum, verba facientis
particula illa: *Γνωσα απ' αιωνος εξι τω Θεω*
παντω τα εγγα αυτε. Act. XV, 18. Ver-
sabatur videlicet Apostolus in dirimenda
et decidenda quaestione: quatenus homi-
nibus e gentibus in coetum christian. col-
lectis, *legum mosaicarum obseruandarum ne-*
cessitas iniungi posset? Ad hoc negotium
perficiendum, verba Prophetae Amos IX,
11. excitauerat: " Posthac restaurabo col-
lapsam Dauidis domum; diruta eius refi-

ciam atque erigam, (quibus verbis Iacobus quaedam ex locis vatum diu. aliis excerpta adiunxit) vt et reliqui homines Deum colant , omnesque gentes nomen meum profiteantur , inquit Deus , qui haec omnia peragit . ” — Hanc domus Dauidicae restaurandae gloriam Iesaias quidem, Ieremias, Ezechiel, aliquique vates diu. locis perquam plurimis praedixerunt verbis his fere similibus ; res autem ipsas , his verbis inuolutas , nec omnes animo percepisse , nec veritati omnino consentaneas et penitus ex omni parte conspirantes rerum imagines mentibus sibi informasse mihi videntur. Nam multa erant his in promissionibus diu. adeo abstrusa et a cogitandi veterum ratione remota , vt vix umbram rerum viderent ; e. c. qualis ille futurus sit dominus Dauidicae restaurator ? regni ipsius et imperii qualis indoles et natura ? qua ratione , quibus potissimum adiumentis opus illumstre perfecturus ? quomodo gentes reliquas superaturus et regni fines usque ad ultimas terrae regiones fit extensurus ? Ipsarum imaginum , quibus in describendis his rebus

rebus vates vti solebant, ea erat vis et
 natura, vt lectores promissionum, nisi
 bene praeparatum adferrent animum, ad
 spem deducerentur regni alicuius terrestris
 et beneficiorum ad huius vitae felicitatem
 maxime pertinentium. Quare recte iudi-
 care videntur, qui puerorum similem Is-
 raelitis tribuunt in rebus sacris cogitandi
 rationem. Sicuti nimirum iuuenes, qui
 ope imaginum et rerum formis sub sensu
 cadentibus, institui solent, non ipsarum
 rerum oculis percipiunt substantiam, sed
 similitudinem quandam imperfectam; ita
 Israelitae vmbbris rerum futurarum et ima-
 ginibus animo perceptis *ex parte* tantum
 intelligere valebant, quid et quale sit,
 quod esset a Deo promissum. Accidit vi-
 delicet illis idem, quod nobis, beatitudinem
 piis aliquando Dei cultoribus impertien-
 dam, in speculo quasi intuentibus i Cor.
 XIII, 12. Hanc potissimum ob caussam
 Christus Ioannem baptistam praestantiorem
 praedicauit omnibus Prophetis; (Math.
 XI, 9.) quod oculis intueretur ipsas res,
 quarum obscuram tantum imaginem animo

per-

101as



percipiebant vates superiores. Eandemque
 ob rationem Iesu discipulos suos beatos
 esse dixit, quod viderent, quae adspicere
 Prophetae multi atque reges (Luc. X, 24)
 cupiuissent. Quare minimum in regno suo
 maiorem esse statuit omnibus Prophetis.
 (Matth. XI, 11.) Quo etiam pertinet
 illud Paulli capite IX, 8. epistolae ad
 Ebraeos docentis: priore tabernaculo exi-
 stente, nondum patefactam fuisse viam in
 sanctuarium; umbram habuisse legem futu-
 rorum bonorum, non ipsam rerum repre-
 sentationem (Cap. X, 1.) Hactenus de
 iis locuti sumus, quae in his terris gesta
 et a Christo sive patiendo sive agendo ab-
 soluta sunt. Parem autem, quinimo ma-
 iorem fuisse Israelitarum inscientiam in iis
 rebus, quae ad coelestem Christi vitam et
 aeternam hominum felicitatem spectent,
 adeo in aprico positum esse censeo, vt
 vix sermone egeat. Magnam profecto
 concepit spem de filio et domino, e po-
 steritate sua aliquando nascendo, Dauides;
 cum illi oraculo diu. (Ps. CX.) promis-
 teretur, fore, vt is exaltatus ad dextram
 Dei hostibus profligatis imperium habeat
 aeter-



aeternum. Cum autem de vita piorum beata in coelis degenda vatibus diu. parum aut nihil innotuisset (quod alio loco demonstrauimus in Psychol. s. Part. I. II. et III.) sequitur, ideas, quas Dauides scribendo et reliqui Israelitae legendō Psalmum centesimum decimum animo concipiebant, mirum in modum ablusisse ab ideis diuinis, his verbis expressis, vnicē veris et rebus ipfis consentaneis. *Deo* enim *tantum cognita erant ab aeterno omnia opera sua*; cognita regni spiritualis natura, et beneficia spiritualia a rege diuino subditis impertienda; atque etiam adminicula, quorum ope genus humanum ex summa erupturus erat miseria, et animarum hostibus superatis, pacem et salutem omnibus largitus ei fidentibus.

Sed iam curatius discernamus et in ordinem quandam redigamus *cogitationes humanas*, quarum in interpretandis vaticiniis ratio habenda est. Primo loco consideremus *ipsorum vaticinantium de rebus futuris intelligentias*. Ad has Prophetarum cogitationes eruendas vel maxime faciet dili-

diligentia in pensitandis oraculis antiquioribus adhibenda. Cum enim non modo traditione prophetica, sed litteris etiam oracula diu antiquissima in gente Israelitica conseruarentur, notitia quaedam salutaris de futuro gentis seruatore et salute hum. per illum restauranda ad posteritatem delata est. Ope huius propagatae doctrine prophetarum plurimi, si non omnes, notiones quasdam de futura felicitate animo conceperant ante, quam nouis reuelationibus diuinitus erudirentur. Iam inde ab Abrahami aetate exspectabant ipsius posteri benedictionem seu salutem aliquam ex gente sua orituram atque non sibi meti ipsi solum, sed et gentibus impertiendam. Etsi veram et genuinam huius felicitatis indolem non penitus haberent perspectam, tamen non est, quod dubitemus, quin cum vero cultu Dei, sine quo nulla salus est, coniunctam fore illam sibi persuaserint. Ex quo colligitur, Israelitas, patria religione probe imbutos, sperasse, futurum, ut ex familia Abrahae, tanquam e fonte aliquo, vera Dei notitia ad ceteras gentes longe lateque effluat. Quam exspecta-

spectationem cum Israelitae mentibus ale-
 rent, suapte fere natura in aliam defere-
 bantur cogitationem et animi persuasionem
 eam, ut sperarent, cultum Iehouae reli-
 giosum celebratum iri inter ceteras gentes
 aequo ac inter Abrahae posteros; hac ra-
 tione imperium iri fundatum diuinum ali-
 quod et sempiternum. Atqui hanc spem
 regi Dauidi ipse fecit Deus Psalmo CX.
 qui in vniuersa theologia prophetica ma-
 ximi est momenti. Quem enim Dauides
 dominum appellat suum, Messiam esse,
 adeo in aprico positum est, et argumentis
 validis ex ipsa rerum per Christum gesta-
 rum historia comprobatum, ut, qui aliter
 sentiant, maximam verbo diu. vim inferre
 censendi sint. Huic vero *domino* a Deo
 id tribuitur, fore, ut hostibus victis, reg-
 num habeat longe in terris lateque exten-
 sum, in quo administrando ipse, instar
 regis Melchisedeci, sacerdotis munere fun-
 gatur et quidem in *aeternum*. En Messiam
 regni diuini stabilitorem, hostium gentis
 suae victorem, largitorem pacis, felicitatis
 humanae restauratorem longe potentissi-
 mum, eundem et sacerdotem sempiternum,

qui

qui rerum ad cultum diu. spectantium cu-
ram sine intermissione habiturus, qui more
sacerdotum gratiae diuinae spem certissi-
mam omnibus, ipsi se tradentibus, com-
paraturus sit. Atque hoc in imperium di-
uinum et aeternum inde a Dauidis aeuo
omnium Israelitarum litteris s. probe im-
butorum et fidem Deo habentium oculi
erant intenti. Hoc in canticis s. celebra-
runt, hoc vnice habuerunt in votis, hu-
ius instauracionem precibus a Deo enixi-
simis efflagitarunt. Ex hac Israelitarum
cogitandi ratione sine erroris formidine ab
interprete cauto et accurato illustrari pos-
sunt, (vt Psalmum secundum praetermit-
tam,) loca singula Ps. XLVII, 8. 9. 10.
LXVIII, 32. 33. LXXII, 10. 11. 19.
LXXXIX, 30. 37. XCVII, 6. 7. aliaque
huius generis plura. Hoc autem non ita
intelligi velim, ac si statuam, Psalmos hos
vniuersos esse ex eo, quod dicunt messia-
norum, genere. Longe enim absurum ab
eorum, siue temeritate, siue superstitione,
qui quiduis in litteris sacris de rege aliquo
futuro scriptum inueniant, de Christo di-
ctum esse, autument. Sed iure meo recte
et

et probe me statuere opinor, auctores canticorum, supra recensitorum, in celebrando Deo id etiam egisse, ut animas Israelitarum alerent spe regni illius futuri et aeterni, in quo Iehouae cultus, cunctis gentibus communis, noua capturus sit incrementa, nouum splendorem. Ex quo rite colligitur, omnia reliqua Psalmorum loca, quibus diuinum illud regnum vniuersale et aeternum laudatur, de Messiae imperio esse intelligenda. Atque has *notiones principales* censeo esse fundamenti loco ponendas in vniuersa eiusmodi vaticiniorum interpretandorum ratione: vt si velis explanare, quae Iesaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel &c. de futuro hominum servatore scripserint, recurrentum tibi fit ad oracula, in canticis Dauidis hinc inde sparsa, idem argumentum concernentia. Ne quidem locus Iesiae vel maxime classicus Cap. LIII. rite et accurate explicari poterit, nisi in subsidium vocaueris, quae Psalmo XVI. et CX. de Christo dicta sunt.

Ad has *notiones principales* accedunt
loco secundo *nouae rerum futurarum formae*
M siue



sive *ideae*, posthac vatis in oraculo aliquo diuinitus suppeditatae. Cum plurima oracula diu. lata sint per occasionem, necessitate et circumstantibus rebus sic exigentibus, prudens vaticiniorum interpres his probe consideratis, et peculiari cogitandi loquendique ratione prophetae cuiusuis obseruata, notiones verbis subiectas, omni, qua poterit, animi sagacitate adhibita, indagabit. Quo in negotio perficiendo cautionem adhibebit hanc, ut in iis subsistat, quae vates pro illius, *qua viuebat, aetatis indole, intelligendo assequi poterat.* Caveat itaque, ne ipsi tribuat ipsas intelligentias sive *ideas diuinias*, rebus futuris *ex omni parte perfecte conspirantes*; caueat, ne mancam admodum de rebus spiritualibus notitiam ad cognitionis sive apostolorum, sive ipsius Domini nostri Iesu Christi normam et virilis sapientiae modum emetiatur. Qui error fere communis est, et multos V. T. interpres turpiter decepit. Nam difficile est, nescire, quae scias, et cum prophetis eantum cogitare, quae pro tempore, pro loco,

loco, pro ingenio suo , pro ea , qua vni
sunt, viuendi ratione et consuetudine in-
telligere et cogitare possent. His enim
omnibus in consilium vocatis et probe
ponderatis, *sensus eruitur ipsius vatis diu.*,
seu complexus cogitationum , quem ipse cum
verbis oraculi , siue intelligendo , siue loquendo
et scribendo coniunxit.

Ab hac prophetae ipsius intelligentia
tertio loco secernendae sunt *cogitationes*
vatum labente tempore insequentium et aliorum
Israelitarum , idem oraculum audientium
legentiumue. Cum enim notitiae salutaris
lux sensim sensimque exsplendesceret; ad-
ditamentisque nouis antiqua oracula sub-
inde illustrarentur; vates posteriores intel-
ligentia rerum futurarum antecedentes
superasse merito existimandi sunt. Sic, vt
exemplo utar, Deum Christi aevo populo
Israelitico Spiritus S. dona admodum lar-
giter distributurum , Ioei verbis praedixit
clarioribus , quam reliqui prophetae , ante
ipsius tempora viuentes.

M 2

Haec

Haec cum ita sint, quotusquisque est,
quin sponte sua intelligat, Ioelem et ce-
teros vates posteriores plus vidisse in ora-
culis priorum, quam ipsi viderent, eos-
demque genuinas notiones et ideas diui-
nas, verborum inuolucris delitescentes,
facilius eruisse. Ex quibus omnibus colli-
gitur, *sensum vaticiniorum unum quidem esse*
et eundem, semper sibi similem et aequalem,
si ideas species diuinias, rebus futuris ad-
aequate conuenientes; sed hunc sensum
diuinum nec vniuersum et in omnibus
partibus ab ipsis prophetis loquentibus
scribentibusque fuisse comprehensum, nec
ab aliis Israelitis omnino perspectum, vs-
que dum, filio Dei carne humana indu-
to, ipso rerum praedictarum euentu, ve-
ritas illucesceret clarius et radiis illius
dispelleretur caliginosa nox, qua animi
Israelitarum, vatum libros legentium, ita
premerentur, vt veram rerum futurarum
faciem contueri non possent. Hanc vero
meliorem rerum diuinarum cognitionem
Iesus Christus, dum bis in terris primum
degeret, non vsque adeo valebat discipulis
suis

suis suppeditare , vt sensum oraculorum
 altiorem seu vniuersum idearum diuinatarum
 in illis abditarum complexum mente com-
 plectarentur. Multis enim et variis im-
 pediti erant praeiudiciis , inde a prima iu-
 uentute , educatione et institutione attra-
 ctis. Constat nimirum inter omnes , Iu-
 daeos ex eo tempore , quo redemtor gen-
 tis suae a vatibus regis imagine descriptus
 erat , spem concepisse felicitatis terrenae ,
 regemque exspectasse , non , qui morte
 ignominiosa e medio tolleretur , sed qui
 viueret in aeternum , hostibus Israelitarum
 imperaturus. Huius spei vestigia depre-
 hendimus in XVI. Capit. lib. I. Macca-
 baeorum com. 41. Refert enim auctor
 huius libri , Iudeos Simoni et familiae
 ipsius imperium detulisse perpetuum , vs-
 quedum venturus sit propheta verus , qui
 videlicet propheta omnibus numeris abso-
 lutus idem et imperator futurus esset sum-
 mus. Atque huiusmodi opiniones vela-
 minis instar oculos tegebant Israelitarum
 atque impediebant , quo minus ipsam ad-
 spicerent rerum spiritualium veram indo-

lem. Quod et ipsis accidit Christi discipulis, qui opinionum popularium praestigiis obcaecati, nec sermones eius de morte in cruce perpetienda, nec promissionum reliquarum, regnum ipsius spirituale concernentium, sensum penitus intelligebant Luc. XVIII, 34. Quare Christus vitteriorem veritatis explicationem in aliud tempus prorogans, hic usus est verbis: multa adhuc restant vobis tradenda, sed ea iam non potestis capere, Ioh. XVI, 12. Mortis vero cruentae sacrificio in cruce oblato, in vitam restitutus, oracula de suo obitu, de gloria futura, de regno aeterno et felicitate spirituali ciuium suorum interpretari atque hac ratione *ideas diuinias*, sub imaginum velo occultas, retegere et oculis amicorum suorum adspiciendas exponere coepit; quam melioram institutionem a redemptore inchoatam, penitus absoluit spiritus veritatis Ioh. XVI, 13. &c. Act. II. X. &c. I Cor. II, 9—13.

His haec tenus dictis in summam quasi collectis, intelligitur, id earum, in interpretan-

pretandis oraculis de Christo ipsiusque regno distinguendarum, esse in vniuersum genus duplex, *diuinum* alterum, alterum *humanum*; atque hoc quidem trifariam commode diuidi posse; esse nimirum notiones *principales*, cum ex summa antiquitate repetendas, tum vel in primis aeuo Dauidis vatibus diuinitus suppeditatas; deinceps notiones *prophetarum posteriorum*, quibus, ope nouarum reuelationum, sensus diuinus oraculorum antecedentium magis magisque recluderetur; denique ab his omnibus separandas esse, tanquam hircos ab ouibus, *opiniones erroneas* Israelitarum, vaticinia sinistre interpretantium et ad sensus suos carnales et vanam gloriae mundanae cupiditatem detorquentium, quae cum omnibus notae et in promptu sint, fusi us enarrare non attinet.

Haec explicandorum oraculorum principia quasi et initia quantam habeant vim dirigendi animum prudentis et studiosi interpretis, sine multorum exemplorum ad miniculo breui dici vix potest; reserua-

M 4 mus

mus ideo in aliud tempus aliumque locum. Iam vero paucis adiectis conjectariis, his ex principiis deductis, ad rem ipsam, cuius causa haec prolusio scripta est, accedemus. Dicenda vero breuitatis causa singulis sententiis comprehendemus. Ex his igitur, hucusque disputatis, efficitur:

1) *Sensum oraculorum unice verum, seu complexum idearum diuinarum, verbis vaticinii alicuius latentium, omnium optime intelligi ex ipso vaticinii euentu.* Ad huius sententiae veritatem confirmandam locus inseruiet Paullinus i Cor. II, 9. &c. Quae nec oculus hominis vidit, nec auris audiuit, nec animus cogitauit, ea praeparauit Deus ipsum amantibus. — Demonstrauimus supra, vates, rerum a se praedictarum, notitiam habuisse quidem, sed adeo mancam, vt proprias rerum futurarum formas animo non conciperent; hasque ipsas res eiusmodi fuisse indolis et naturae, vt Israelitis, assuetis bonis terrestribus, sub sensu cadentibus, non nisi imaginis.

ginibus quibusdam a rebus mundanis petitis, tanquam in umbra delineatae ad adspiciendum praebeti possent. Ex hac oraculorum diuinorum indole orta est difficultas interpretandi ea, quae vix, ac ne vix quidem superari posset, nisi ad ipsas res praedictas, a Christo gestas atque effectas, oculorum dirigas aciem.

Cum enim prophetae ipsi carerent facultate *penitus* intelligendi argumentum *vniuersum* vaticiniorum, ore prolatorum, litterisque mandatorum; qui fieri possit, ut nos, Θεοπνευστας beneficio destituti, notiones diuinas *verbis oraculi* alicuius subiectas, facilius inueniamus, profecto non videmus. Quodsi vero ad res ipsas, a Christo et legatis suis peractas, et ad euentum, nostris oculis quasi expositum, animum aduertamus: accuratam et definitam oraculorum interpretationem facili negotio efformabimus.

Est enim propria quaedam et necessaria vaticiniorum plurimorum obscuritas,

M 5. quae

quae ante dispelli non potest, quam res
praedictae ipsae euenerint. Ideoque non
male iudicarunt scriptores ecclesiastici,
Irenaeus, Chrysostomus *), *Theodoreetus*, alii,
euentum esse oraculorum plurimorum optimum
interpretam. Ex hac prima sequitur sen-
tentia altera:

2) *Valde errare theologos, qui ad inter-
pretanda oracula prophetarum, de Christo et
ipsius regno loquentium, nefas esse praecipient,
interpretationem Christi et Apostolorum in ad-
miniculum adhibere.* Pari modo enim sa-
piunt, atque illi, qui negauerint, ipsum
regionum, montium, fluuiorum, marium,
in oriente sitorum, intuitum magnam ha-
bere vim ad libros geographicos et histo-
ricos veterum auctorum intelligendos et
illustrandos; siue qui prohibuerint ad
dispellendam loci alicuius obscuritatem
vsum lucis meridianae. Caussam illi qui-
dem praecepti sui praetendunt hanc: Christum
et legatos ipsius sermonem attem-
perasse

*) Vide b. Ernesti: Narrat. crit. de interpr.
prophet. p. 507. opusc.

perisse Iudeorum falsis opinionibus atque
 sinistris vaticiniorum interpretationibus.
 Nec nos ii sumus, qui siue συναταξιον
 diu ad opiniones vulgares negemus, siue
 accommodationis et allegationis discrimen
 nesciamus. Nec eorum omnino placet
 ratio, qui loca quaevis, vel ob leuem,
 quam habeant cum Christo et rebus ab
 ipso gestis similitudinem, ad describendam
 ipsius personam, acta et passionem, ex
 vniuerso V. T. codice conquisita, vi
 quasi et obtorto collo rapere soleant.
 Quod iuste reprehenditur. Sed aequa re-
 prehensibilia esse videntur consilia eorum,
 qui in explanandis vaticiniis. V. T. inter-
 preti siue abstinendum omnino esse putent
 ab explicatione ea, qua vxi sunt Christus
 et ipsius legati, siue parce tantum illa
 vtendum. Quis enim, quaeso, verius in-
 telligere et adcuratius interpretari vnquam
 poterit oracula prophetarum, quam ille
 ipse, de quo dicta erant et scripta? Cui
 hoc in argumento potius fidem habe-
 mus, quam doctori generis humani omnium
 perfectissimo, qui cum ipsum in finem his
 in

in terris adparuit, vt *veritatem* doceret (Ioh. XIX, 37.) ; qui reconditum vaticiniorum sensum amicis suis atque discipulis, non in coetu Iudeorum aliquo, sed priuata institutione reclusit eo tempore, quo ex ipso euentu omnium optime demonstrari et animo facililime capi poterat; (Luc. XXIV, 44. &c.) ; qui deinceps in coelum sublatus Spiritum S. suis misit, vt, quorum intelligendorum antea essent incapaces, plenius illis reuelaret et cumulatius? Ioh. XV, 26. XVI, 13. &c. Ergo ne Spiritus S. a Deo patre per Christum missus, apostolis, ad vniuersum genus humnanum ablegandis, in interpretandis oraculis iudaicas inspirauit opiniunculas? Atque haec γλωσσα tradiri curauit non Iudeis modo, sed vniuersis gentibus? Quis est tam impudens, vt talia pro veris venditare audeat? Iam vero legati Domini nostri, probaturi, Iesum Nazar. esse verum Messiam, id potissimum egerunt, vt oraculis V. T. propositis et explicatis, demonstrarent, omnia de Christo praedicta, in uno Iesu Nazar. deprehendi.

Act.

Act. II, III, X, 43. Rom. IX, X, XI.
 Quid? Si ipsi eodem tempore, quo oracula
 rum sensum ad praecognitias Iudeorum
 opiniones misere detorsissent, magna
 sermonis auctoritate contendere et mira-
 culis confirmare essent conati, se *vera et*
diuina verba auditoribus tradere, haec
 omnia a prophetis esse predicta? — Pro-
 fecto, non male iudicare videntur, qui
 credant, vniuersae religionis christianaee
 fundamenta peti his aliisue id genus so-
 phismatibus. Quodsi enim apostoli sub
 veritatis specie iudaicas opiniones genti-
 bus ore et scriptis tradiderunt, quid in
 eorundem libris verum, quid falsum sit,
 dictu foret admodum difficile. Sed absit!
 Vno ore et magno animo contendunt
 omnes legati Iesu Christi, se nec secutos
 esse Iudeorum fabulas, nec profanae fa-
 pientiae praecpta, sed ea, quae spiritus
 veritatis suppeditauerit: 1 Cor. II, 10. &c.
 Hoc fundamento veritatis accurate, et
 iusta exhibita cautione, posito, superstrui
 possunt permulta, quae ad interpretanda
 oracula de Christo vim magnam habere
 viden-

videntur. Quorum pauca, vel periculi faciendi caussa, adiiciamus.

3) Primum ex his ita praemissis regula deduci potest hermeneutica haec: *Locus V. T. quem siue Iesu ipse, siue apostoli de Christo ipsiusque regno intelligendum esse, claris verbis praecipiunt, pro tali tantisper recte habetur, dum argumentis validis demonstrabitur, in loco illo V. T. de re, vel persona alia sermonem haberet.*


Huius praecepti rationem non est, quod amplius exhibeamus; fluit enim sponte ex superioribus, nec egit vltiori probatione. Quamnam vero cautionem habeat, breuiter dicamus; videlicet, ne interpres obliuiscatur, multa V. T. loca ab apostolis per accommodationem ad Christum esse flexa; neue N. T. auctoritate se ita abripi patiatur, vt in genuinum et litteralem loci propheticci sensum nimis festinanter et obiter tantum inquirat. Legat itaque et relegat saepius uniuersam, ex qua decerpta sunt verba alle-

gata,

gata, orationem; omni, qua poterit, cu-
ra dispiciat, *quisnam et qualis* sit, de quo
agatur? quaenam illi tribuantur *propria?*
quaenam ipsius sint, siue *virtutes*, siue
acta, in vniuerso vaticinii ambitu de-
scripta? Quodsi quando in his aliquid
occurrat, quod ad Christum ipsiusque
regnum omnino applicari nequeat; vel si
ex orationis cohaerentia, (quod saepe fit
in vaticiniis prophetarum) eluceat, alium
omnino esse hominem, siue aliam rem,
cuius mentio fiat; recte statuitur, locum
ab auctoribus N. T. ad Christum non esse
traductum, nisi illustrandi alicuius argu-
menti caussa; licet usi sint verbis: *να
πληρωθη.* Notum enim est atque peruul-
gatum, communem fere hanc fuisse iis
temporibus allegandorum dictorum pro-
pheticorum rationem, quod a *Surenhusio*
in libro *καταλλαγης* dudum obseruatum est.

Atque ex hac formula hermeneutica
rite explicata, protinus manat altera:

*Accommodationum et allegationum in libris
noui Testamenti obuiarum discriminem hoc modo
esse*



*esse faciendum, vt probetur, in loco V. T.
esse sermonem siue de alia re, siue de alio
tempore et loco, quam, quae ad Messiam ipsius-
que regnum pertineant.*

Huius generis sunt loca Matth. II, 15.
coll. Hof. XI, 1. Matth. II, 17. coll. Ier.
XXXI, 15. 1 Cor. I, 19. 20. coll. Ies. XXIX,
14. multaque alia. Huic autem generi,
quomodo Psalmus accenseri possit secun-
dus, non intelligimus. Cum enim nihil
omnino huic cantico insit, quod prohi-
beat, quo minus de Messia scriptum esse
censeamus; et apostoli plura illius loca
excitarent eum in finem, vt comproba-
rent, in Iesu Nazareno omnia esse, quae
de Messia praedicta sint, Act. IV, 25. XIII,
33. Ebr. I, 5. V, 5. sequitur, huius car-
minis argumentum vere esse referendum
ad Christum ipsiusque regnum. Hanc
nostram sententiam pro ea, qua fruimur
libertate, tuentes, aliter sentientibus id
vicissim libenter damus, fieri posse, vt
Psalmum II. ad Dauidem et Salomonem
trahas, si ab Apostolorum interpretatione
rece-

recedere velis. Sed hocce an recte fiat,
quaeritur? Quod negamus. Ne autem in
vanas et inutiles incidamus disputationes,
locorum propheticorum de Christo scripto-
rum in vniuersum facimus genera duo:

a) Primum: quod eiusmodi est, vt ad
alium nisi Messiam, flecti omnino non
possit, nisi verbo diu. vim inferre velis
iniustissimam. Huc referenda sunt loca,
Gen. XII, 18. Ps. CX. Ies. LIII. alia.

b) Secundum, quod quidem in se pos-
set aliquo modo trahi ad personam et rem
aliam, sed cum ob *analogiam doctrinae pro-*
pheticae, tum vel in primis propter *auтори-*
tatem apostolorum, qui ad Messiam referen-
dum esse claris verbis docuerunt, alio
trahendum non est. Si modo, quae in
loco eiusmodi propheticō de re vel per-
sona dicuntur, iis sint consentanea, quae
locis doctrinae propheticae palmariis Chri-
sto tribuuntur. Atqui ad hoc genus per-
tinere iudicamus Psalmum II.

5) Porro ex his decidi poterit quae-
stio: quatenus verum sit, quod theologi

N con-

contendere solent: *vaticiniis ad unum omnibus ipsum euentum perfecte conspirare.* Accurate nimirum obseruatum est a recentioribus quibusdam auctoribus *), non petitus errare, qui dicant, haud omnia euensis, quae in vaticiniis praedicta essent, scilicet *eo sensu*, quem sibi fingebat ingenium humanum. Viri enim ceteroquin pietate conspicui, atque ingenui Dei cultores a Messia futuro non eiusmodi tantum beneficia sperabant, quae ad animum pertinerent, sed et ea, quae sensibus blandirentur et terrenae felicitatis summam augerent. Hac spe mirum in modum delectabantur praecipue in rerum discriminibus constituti. Etsi igitur in vniuersum quidem recte et pie nitebantur promissione diuina; in partibus tamen singulis vaticiniorum explicandis adiungebant, ut supra monuimus, humana ex suopre ingenio nata, diuinis; ideoque exspectabant quaedam a Deo nec *promissa* nec *praeslita*.

Nihilominus verum manet et indubitatum illud Paulli ὁ Θεος αληθης Rom. III, 4.

Orae

*) Vide Niemeyer *Charakterist. Th. V.* p. 321.

Οσαι γαρ επαγγελιαι Θεων εν Χριστω, εν αυτω
τοι τατι και εν αυτω τοι αμην. 2. Cor.
I, 20. Euenisse enim, quae Deus prae-
dici curaret, quisquis intelliget, qui, ut
fecimus, in oraculis interpretandis notio-
nes diuinias ab humanis velit discernere.

6) Hoc idearum diuinatarum et huma-
narum discriminis constituto, eo ipso con-
stituta est regula hermeneutica haec: *libros*
propheticos iis in locis, quae vaticinia de
Christo ipsiusque regno contineant, multum
differre ab omnibus libris humanis, eamque
ipsam ob causam ad aliam paullo normam esse
explicandos. Saepius hoc aeuo nostro a
multis dictum est et scriptum: libros diui-
nos non aliter, atque ingenio humano
elaboratos interpreti prudenti esse tractan-
dos; atque hanc regulam auream fere exe-
getarum nostri temporis principes in ex-
plicanda scriptura s. successu adeo felici
obseruarunt, ut, qui aliter sentiat, hodie
fere sit nemo.

Sed enim uero non in uniuersum pro-
nunciari debuerat canon iste hermeneuti-

N 2 cus.


cus. Valet enim modo de quibusdam scripturae s. locis, et argumentis, videlicet de historicis, doctrinalibus, moralibus similibusque. Horum enim locorum sensus continetur eiusmodi cogitationibus, quas auctores omnes fere penitus habebant perspectas. Qua in re ab auctoribus profanis nihil aut parum differebat. Licet enim scribendo spiritu Dei dirigerentur; ipsi tamen animo suo res litteris mandandas cogitando affecuti sunt. In his igitur locis, idearum diuinarum et humanarum discrimen fere nullum, nisi quod claritate et perfectione continetur. Ut exemplum illum: Iosuam reges Palaestinae superasse, litteris mandatum est in libro, quod nomen ipsius gerit; atqui in vniuersa hac historia verborum *sensus unus idemque est*, siue ad Deum referas, siue ad homines; siue ad coaeuos Iosuae, siue ad posteros. Totus igitur liber secundum communes interpretandi regulas tractandus est. Aliter res se habet in vaticiniis de Christo ipsisque regno. Nam:

Πατα προφητεια γραφης ιδιας επιλυσεως
x γινεται. 2. Petri I, 20. Prophetae non
ea


ea tantum scripserunt, quae siue traditione orali acceperant, siue quae experientia duce intellexerant vera esse; sed quae somniis, ecstasi, visione, siue alio reuelationis diu. (vt vt comparatum et nobis ignotum est,) genere de rebus futuris praeuiderant. Auctoris profani est, cogitationes suas et aliorum hominum verbis, rebus accommodatis, exprimere; vatis autem, cogitationes et consilia Dei, sibi obscurò tantum et aenigmatico sermone tradita, figuris, et imaginibus. Auctores humani, sana mente praediti, exercitatique arte scribendi, penitus intelligunt, quae sermone sibi noto eloquuntur; vates diuinos oraculorum sensum abditum et profundum ex parte tantum intellexisse, probauimus. Prophetae denique poetarum instar figuris multis et orationis luminibus sermonem colluстрant; ideoque recte quidem praecipiunt, qui, in explicandis eorum scriptis, easdem dicunt esse obseruandas regulas, quas in poetis interpretandis sequi solent rhetores. Nihilo secius tamen permagnum est discrimen poetam inter atque vatem diuinum. Ille suapte

N 3

natu-



natura fertur in sublime et imaginationis
vi rapitur ad magniloquentiam; fингит,
quae non sunt; videt futura, quae nun-
quam existunt; res parvas orationis colo-
ribus magnas efficit. Non omnino sic
prophetae. Hi res spirituales imaginibus,
a rebus terrestribus petitis, describere;
regis diuini maiestatem et gloriam regis
humani similitudine paullisper adumbrare;
ideoque maxima, diuina, aeterna, compara-
tione cum parvis, humanis, caducis, quan-
tum fieri potest, explicare conantur. Non
exaggerant, sed similibus paullulum illu-
strant veram rerum diu. vim et naturam.



DE


IV.

DE

VATICINIORVM VNIVERSAM
ALIQVAM TEMPORIS PERIODVM
COMPLECTENTIVM

IVSTA INTERPRETANDI RATIONE

SECTIO I.



Cum multa vaticiniorum loca nequaquam
satis adhuc explicata sunt, tum per-
difficilis est eorum praesertim interpreta-
tio, quae non vnum tantum rei alicuius
eventum concernunt, sed latius vagantur,
et, siue variis rerum generibus eodem
verborum ambitu complexis, siue plurium
rerum, tempore valde disiunctarum, for-
mis descriptis, ipsa idearum vbertate et
rerum copia interpretem exercent et fati-
gant. Ut enim in multis, ita vel maxime
in eo differunt vates diu. a reliquis aucto-
ribus, humana lege libros edentibus, vt
non raro vniuersam aliquam et magnam tem-
poris periodum paucis comprehendant ver-
bis, cum gentis Israelitecae fata, tum
ipsius religionis et vniuersi generis humani
conditionem futuram obscure et per vmbra-
m quasi depingentibus. Quod cum
multi et magni interpretes non vbiique,
prout debebant, obseruarent, qualis vis
fit.

fit oraculorum, qualis sensus verborum latissime patentium, parum intellexere. At qui horum locorum non exiguum in prophetarum libris numerum deprehendisse nobis videmur. Qua re commoti consilium cepimus differendi breuiter hac schedula de iusta et accurata eorundem *interpretandi ratione*; quo in periculo faciendo ipsa rei difficultas et eiusmodi oraculorum obscuritas nos monebit, ne ea simus temeritate, ut regulas scribamus viris in hoc genere eruditissimis exercitatissimisque, valde memores et humanae conditionis et nostrae mediocritatis. Quo autem omnis nostra dissertatio iusto ordine procedat, primum pauca praemonebimus de vaticiniorum genere eo, quo *vnius rei cuiusdam definitae* euentus certus describitur. In eiusmodi oraculis fere omnibus est praedictio aliqua rerum, huius vitae siue felicitatem concernentium, siue miserationis, e. c. mutationem regnorum, ortum, conditionem, mortem hominum singulorum, poenas diu., auxilium diu. certo tempore praestandum &c. &c. cuius generis sunt Noachi vaticinium diluuii Gen.

N 5

VI.



XVI. &c. &c. de Isaaco nascendo promissio
Gen. XVII. primogenitorum mors Exod.
XII. et exempla fere innumerabilia in pro-
phetarum libris, e. c. Ief. VIII, 4. IX,
16, XV. XVI. XIX. XX. XXIII.

Horum quidem vaticiniorum *rationes* et
fines erant multiplices et varii. Magna
enim erat vis euentus, praediis accurate
respondentis, et ad confirmandam verita-
tem, *Iehouam esse unum verum deum*, et
ad comprobandam prouidentiam, qua hoc
vniuersum non modo, sed et populos,
familias, et casus singulos gubernat. Hunc
in finem portenta, a Mose in Aegypto
edita, praenunciari curauit deus, ante-
quam fierent. Exod. V—XI. Pari ratione
Israelitis, in deserto arabico degentibus,
plura Moses beneficia praedixit, quae dei
singulari cura et munificentia accepturi
essent, nec non poenas improbis qui-
busdam hominibus infictas, Num. XVI,
32. vtrumque eo consilio, vt intelligerent
Israelitae, haec omnia non casu aliquo
fibi aliisue obuenire, sed a deo, moder-
tore omnium rerum, dirigi. Non enim,

vt

vt vir quidam ingenio et facundia prae-ditus nuper censuit *), argumentorum e rerum natura petitorum efficacia Israelitis, in itinere versantibus, persuasum est, Iehouae potentia sapientiaque condita esse et ferri et gubernari omnia, sed miraculis praedictis, seu vaticiniis, propinquo euentu confirmatis **). Atque his adminiculis deus tempore procedente saepius usus est, cum ad refutandos idolatriae errores, tunc ad confirmandam in animis piis fidem et spem in ipsis numine positam. Ierobeamo, vitulorum cultum instauranti, vates diu praenunciare iubebatur, altare nouum, modo exstructum, nemine manus admouente, protinus iri diremtum; argu-mento simili probauerunt Elias et Iesaias deorum vanitatem et dei gentis suae vim et potentiam.

Hac ratione vel eventus naturales miraculorum induebant speciem, cum essent natura eiusmodi, vt praeter deum nemo eos

*) Mendelssohn in libro Ierusalem.

**) Vide *Gemeinnütz. Betracht.* anni 1783.

pag. 515.



eos vel praeuidere posset, vel, vt euenirent, efficere et ad nutum dirigere. Quae res magnam habebat vim, ad percellendos animos hominum rudium et sensuum imperio subiectorum, quippe qui oculis quasi intuebantur vim numinis supremam et metu correpti eius imperio se eo facilius subiiciebant, quod intelligerent, se poenas a vatibus iussu dei praedictas nullo modo posse effugere. Probi autem et sancti dei cultores ipsius promissionibus fidem habebant firmorem, experientia edocti, illum stare promissis, et fidelem esse gentis suae protectorem. Quin et ipsorum prophetarum auctoritas vaticiniorum euentu stabilienda erat et augenda. Vix enim vel remedio alio a gente refractaria et incredula impetrare poterant, vt sermonibus suis fidem haberet. Quam ob rem deus cum vellet vel minari poenas futuras, vel promittere beneficia, longiori aliqua temporis periodo finita, Israelitis demum exhibenda, saepius rem aliquam praenunciari curauit *propinquam*, vt huius euentu homines signum, indicium et pignus haberent rerum futu-

futurarum. Eiusmodi exemplum valde illustre reperitur in vaticiniis Iesaiæ. Praediturus enim natales Messiae, gentis suae liberatoris et regni aeterni statoris (Ief. IX, 5. 6.) annunciauit antea, prophetisam aliquam certo et accurate definito temporis momento concepturam et (*quod mortalium nemo praescire valebat*) puerum edituram esse, cuius nomen, a deo ipso constitutum, Israelitis argumenti et pignoris loco esse debebat, quo fide confirmarentur et animo spem conciperent certam, fore, ut Iehoua gentem suam non modo eripiat e periculis praesentibus, sed et maiora aliquando largiatur beneficia per filium illum Davidis promissum. (Ief. IX, 5.)

Hoc vaticiniorum genere breuiter descripto ad alterum nos conferemus, quo siue longior aliqua temporum series, siue rerum plurium copia sermone uno et paucis nonnumquam verbis comprehenditur. Ne vero obruamur ipsa huius argumenti vbertate, delibemus tantum et primis quasi labiis gustemus praestantiores quasdam illius particulas. Atque primum de temporibus dicemus.



cemus. Sunt autem rerum per vates constitutae et discriminé notatae duae potissimum maiores temporum periodi, quas nobis *propheticas* appellare liceat. Prior inde ab aevo Dauidis, Hoseae, Iesaiæ &c. (a tempore videlicet prolatorum vaticiniorum) incipiens, terminatur exilio Babylonico et restituta post haec vrbe Hierosolymitana; altera a tempore restauratorum Hierosolymorum vergit ad Messiae aduentum, post quem res publica Israelitarum funditus euersa, nouum vero Messiae regnum in vniuerso orbe conditum et stabilitum est, vsque ad postrema duraturum tempora. Hanc temporum partitio-
nen non solum res ipsa suadet et lectori prophetarum attento suppeditat, sed et deus non obscure significauit multis vaticiniorum locis, quorum paucos tantum in medium proferemus, initium facturi a Ies. VI. Iesaiæ nimirum, ad munus propheticum vocato et visione quadam illu-
striori initiato, a deo iniungebatur man-
datum publice proclaimandi: gentem Israe-
liticam oculis non visuram, auribus aper-
tis non audituram, h. e. prophetarum ser-
mones

mones nec intellecturam esse , nec praecptis diu. obedientiam praestituram ; quae-
renti autem , quoisque tandem haec ani-
morum caecitas duratura sit ? responsum
est : vsque dum ciuitates fuerint destructae
et agri vastati , tum , extirpatis peccato-
ribus , semen Israelitarum Deo sanctum
relinquetur . En duas temporum periodos ,
alteram corruptionis , emendationis alteram *).
Pari ratione idem vates utramque distinxit
capite quadragesimo . Nouam enim inci-
piens rerum futurarum descriptionem , sic
orditur : solamini , solamini meum popu-
lum ! inquit deus vester . Blande alloqui-
mini Hierosolymam ! dicite ei , finitam esse
conditionem eius molestam , peccata eius
esse expiata , duplo maiora post eius
poenas a Ioua ei tributum iri beneficia .
Quotusquisque lectorum est , quin sponte
intelligat , prophetam duo discriminare tem-
pora , alterum miseriae finitae , alterum re-
staurandae felicitatis . Eandem sententiam
aliis inuolutam imaginibus crebro usurpant
vates ceteri . Ut vnum tantum superiori-
bus

*) Eandem , aliis tantum verbis , expressit sen-
tentiam Ezechiel Capite XXXVI , 24. 28.

bus adiungam exemplum, Hoseae utar sententiis Cap. II, 19. &c. expressis. Descripserat gentem Israeliticam ceu vxorem infidelem et adulteram a deo repudiatam; postea vero spem illi fecit hanc, fore, vt, renouatis quasi sponsalibus, deo nubat viro suo, non, vt antea ad breve tempus, sed in *perpetuum*. Dudum obseruarunt interpretes praestantissimi, prophetae mentem non penetrare, qui hunc locum de *spirituali* tantum coniugio explicare soleant. Promittit enim deus Israelitis in antecedentibus pariter atque sequentibus munera et beneficia terrena, redditum ex exilio, (com. 15.) agrorum et vinearum fertilitatem; (com. 21. 22.) obstat denique ipsa rerum, de quibus sermo est, natura et indoles. Nam gratiae diu. recuperatae *initia* ponenda esse in tempore miseriae *finitae*, et sub urbis nouae et templi instauratione, per se patet, et Iesaias aper-te docet capite quadragesimo, com. 1. &c. aliisque locis perquam plurimis. Cap. LII, 11. coll. Cap. XLIX, 9—23. Ex quibus efficitur, Hoseam *duas* fecisse temporum

perio-

periodos maiores, alteram repudii, alteram noui matrimonii seu foederis diuini restaurati.

His itaque temporum periodis rite definitis, consideremus rerum copiam, in vaticiniis, vniuersam aliquam periodum complectentibus, latentem. Est vero harum rerum genus duplex, alterum triste et acerbum, iucundum et optabile alterum. Genti enim Israelitiae idolatriae peste infestae, ad vitia quaevis et facinora atrocissima procliui, quid vates diu. praedicere poterant aliud, quam dei vindictam omnisque generis miseriam? Huius miseriae prima et maxime deploranda pars ad animas pertinebat. Iusto enim dei iudicio peccati mancipia ista tradebantur cupidatum suarum imperio et tyrannidi, quibus ita seruiebant, vt, cultu dei veri neglecto, veritatis intelligentia priuati, in omnem proni ruerent peccati turpitudinem. Atque ad miseram hanc animorum conditio nem, qua laborabat gentis pars longe maxima inde a tempore Achasi, regis Iudaici, vsque ad destructionem Hierosoly-


O morum



morum per Babylonios, accessit malorum genus alterum, cum ex ipsa peccati natura pullulascens, tum a deo, iudice, peculiari prouidentia improbis hominibus et vniuersae nonnunquam genti sapienter immisum, hostium furor, frugum penuria, fames, morborum vis, neces et strages, malaque plura alia, non vno tantum anno vel breui tempore grassantia, sed iterum iterumque redeuntia, vsque dum vniuersam nationem conquaflatam et contritam pessundarent.

Huic tempestati et miseriae deus pro ea, qua erat in Israelite, singulari clementia terminum ipse posuit, perque vates praedixit, futurum, vt, nocte finita, laetior genti suae oriatur lux. Beneficiorum autem promissorum permagna erat copia. Primum quidem et longe praestantissimum animorum concernebat salutem. Israelite nimirum ab hostibus suppressi et dura seruitute diu excruiciati, ipsa experientia edocebantur, idolorum cultum adeo sibi non profuisse, vt potius

tius caufsa malorum fuifset fere omnium,
 quorum mole iam obrutos fe videbant et
 prostratos. Hoc miseriae sensu admoniti
 reminiscebantur sermonum propheticorum,
 quorum veritatem et certitudinem ipso
 euentu intelligebant esse confirmatam. Re-
 pudiatore igitur deorum cultu, Iehouae,
 dei sui, vim et potentiam reuerebantur,
 atque de peccatorum venia folliciti ipsius
 fauorem precibus fibi conciliare stude-
 bant ardentissimis, ab hypocrisi, qua fu-
 periori tempore erant infecti, longe re-
 moti. En principia repurgatae religionis
 et quasi fundamenta veri cultus diu non
 in Iudaea modo, sed in vniuerso terra-
 rum orbe instaurandi. Iam enim Israelita-
 tarum plurimi religioni patriae ita erant
 dediti et Iehouae dicati, vt nullis fe vnu-
 quam paterentur periculis, nullis cruciati-
 bus ad deorum cultum abripi, vt potius,
 quantum per quamuis occasionem possent,
 Iehouae notitiam gentibus communicarent
 et proselytorum colligendorum effent stu-
 diosissimi. Hanc *rерum spiritualium* conuer-
 sionem mirabilem sequebatur diu exopta-




ta fortis externae mutatio. Deo enim res orientis ad salutem gentis suae moderante et dirigente, Cyrus, Babylonia occupata, Israelitis libertatem concessit et aedificandae vrbis veniam. Hierosolymis restitutis, ancipite quidem Iudei sub initium vtebantur fortuna, post autem Antiochi Epiph. obitum, ducibus e familia Macabaeorum reipublicae gubernaculis admotis, res eorum adeo crescebant et efflorescebant subito, vt, pristina felicitate restituta, gens Israelitica opibus, honoribus, multitudine hominum, artibus et mercatura multas alias antecelleret nationes. Sed haec erant initia tantum salutis longe maioris. Comparuit tandem aliquando, quem diu exspectauerant, gentis liberator et sospitator diuinus, qui puriorem dei notitiam amicis primum et legatis, deinceps per illos ceteris gentibus impertivit atque, regno diuino in vniuerso terrarum orbe instaurato, cultoribus suis maxima vbiique distribuit beneficia, non animi tantum salutem, sed et huius vitae felicitatem valde augentia, magna,

magna, videlicet, intelligentiae rerum sacrarum incrementa, animi tranquillitatem, conscientia peccatorum remota, sua uissimam, vires ad omne virtutis studium necessarias, fauoris diu. sensum longe iucundissimum, atque certam beatitudinis sempiternae spem dulcissimam Rom. V, 1—8. Eph. I, 4—8. Atqui his multis que aliis bonis exornauit singulos reipublicae suac ciues; vniuersum autem asseclarum suorum coetum summis ornatuit honoribus, adeo, vt, multis magnis que gentibus debellatis, vniuersae fere Europae et aliis regionibus iam imperent, potituri aliquando vniuersi orbis terrarum dominio.

Atqui vero admirabilem hanc bonorum spiritualium pariter atque terrestrium abundantiam, a vatibus diu. paucis nonnunquam verbis describi, interpretum multum haud intelligerent, locorum praestantissimorum sensum non asscuti, prophetarum sermones misere torserunt et explicando reddiderunt obscuriores implicati

O 3 tiores-



tioresque. Quos errores ut vitent futuri scripturae s. interpres, non inutile erit animum aduertere ad obseruationes sequentes:

I. *Prophetas, ante exilium Babylon. viuentes multis locis angusto verborum ambitu vniuersam describere temporis periodum, inde a finito exilio, usque ad felix et faustum Messiae seculum regnumque ipsius sempiternum.* Huius rei caussas et exempla inuenire non est difficile. *Caussae quidem fere hae sunt.* Vaticinia de futura gentis Israelicitiae felicitate erant in argumentis consolatoriis, quibus Iudei probi in exilio degentes erigendi erant atque confirmandi, ne desperarent, et, cultu dei veri relicto, idololatrarum societati se adiungerent. Quid autem ad consolandos animos efficacius, quid ad stabiliendam fidem praestantius, orationibus illis, quibus vates diuini, iussu dei, Israelitis promitterent futuram vrbis suae et templi restaurationem, vniuersae gentis incredibile augmentum, cultus Iehouae in vniuerso

terra-

terrarum orbe stabiliendi celebritatem,
regni Messiani gloriam et perpetuitatem?
Deinde vel prophetae ipsi magnos hos
mirabilesque euentus in animis suis cogi-
tando ita copulasse mihi videntur, ut
*temporum spatia, quibus a se inuicem dista-
bant, ne quidem discriminare atque accurate
definire possent.* Accidit vatibus, quod
contingere solet illis, qui in cacumine
montis positi vrbes et pagos in finibus
regionum circumstalarum extremis fitos in-
tuentur, qui licet singuli multorum mil-
liarium spatiis a se inuicem sint seiuncti,
tamen speciem solent prae se ferre pro-
pinquitatis. Videbant prophetae *res ipsas*,
non *tempora rerum accurate definita et
constituta.* Quod ne precario nobis sum-
fisse videamur, Petrum testem euocemus
in epistola I. Cap. I, 10. 11. scribentem:
 περι ης σωτηριας εξεζητησαν και εξηρευνησαν
 προφηται οι περι της εις υμας χαριτος προ-
 φιτευσαντες. Ερευνωντες εις τινα η ποιου
 καισου εδηλου το εν αυτοις πνευμα χρισου.

Scrutati sunt vates, in quaenam tem-
pora caderent euentus futuri, sibi a deo re-

O 4

uelati.



uelati. Eiusmodi scrutaminis exemplum habemus in Daniele Cap. IX, 1. 2. &c. Atque ille idem propheta in loco excitato oraculum exhibuit, quo *restauracionem orbis et aduentum Messiae* arctissime coniunctos deprehendimus, temporis spatio, quod vtrumque intercessurum erat, admodum obscure definito. Cap. IX, 25. 26. Vates autem, ante exilium bab. scribentes, de tempore, quo Messias nasciturus esset, certi quid dicerent, plane nihil habuisse, maxime est credibile. Quare legenti mihi et interpretanti prophetarum libros, saepe in mentem venit, viros illos spiritu propheticō actos, hanc et ipsos aliuisse et Israelitis fecisse spem, fore, ut post calamitatem exilii bab. protinus appareat sospitator gentis suae et liberator, Messias. Nec in vitium vertenda foret vatibus diu. haec temporum a deo constitutorum ignorantia. Quod enim non acceperant reuelatione, non poterant reddere aliis. Ne homo Iesus quidem diei extremi certum a deo constitutum tempus habebat cognitum. Ipsi apostoli, spiritus s. donis largissimis

gissimis instructi, ceteros Christi asseclas
 admonuerunt, ut animi sobrietate et vi-
 gilantia indesinenter exspectarent aduen-
 tum domini, repente et instar fulminis in
 coelis adparituri. Pari modo cogitasse vi-
 dentur prophetae, vrbis Hierosolym. in-
 staurationem et Messiae nativitatem con-
 fungentes. Intelliget hoc iustus harum
 rerum aestimator quiuis, consideraturus
 euentuum seriem a Iesia saepius in ec-
 stasi visam, litterisque consignatam. De-
 scribere enim solet primum tempora tristia
 sub regibus, idolorum cultui deditis; de-
 inde exilium assyriacum atque babylonici-
 cum; post Assyriorum et Chaldaeorum
 clades; liberationem denique Israelitarum
 ex captiuitate et Messiae nativitatem. Hanc
 rerum videndarum rationem qui ante ocu-
 los habet positam, facilius penetrabit sen-
 sum oraculorum praestantissimorum; ne-
 que, ut saepe fit, contrahet tempora,
 longo interuallo disiuncta, nec permisce-
 bit euentus vel maxime diuersos, ratio-
 nesque videbit subitanei transitus prophe-
 ticae orationis, ab excisione Babyloniae

O 5 1 888 891 proti-

protinus ad fundationem regni Messiae se vertentis, atque a calamitate, Assyriis inflcta, ad futuram gentis Israeliticae, ab hostium vi liberatae, felicitatem. Sed de subito hoc transitu alio loco dicemus. Ut autem obscuro et difficii huic argumento exemplis quibusdam lucis aliquid affundamus, Iesiae locum unum alterumue consideremus paullo curatius.

Capite LXI. et LXII. futuram aliquam descriptis vates Israelitarum a malis liberationem et felicitatem, vrbe Hierosolymitana restituta, illis impertiendam. Dominus noster et doctor absolutissimus loco Cap. LXI, 1. 2. praelecto, sermone Iudeos edocuit, quae deus per vatem promiserit, ea iam hoc suo tempore vere accidere. (Luc. IV, 21.) Hac Iesu Christi auctoritate commoti, interpres olim plurimi *) vniuersum locum ad tempora

*) Scriptores eccles. antiquae omnes, ne Theodoreto quidem excepto, qui simpliciter haeret in verbis: σημερον επληρωθη η γεαφη αυτη &c. Luc. IV. vid. opp. Tom. II. pag. 383. Ed. Hal.

traxerunt Messiana. Alii, prophetae ver-
 bis com. 1, 2, &c. sensum proprium tri-
 buentes, statuerunt, vatem hoc loco de-
 scribere *tantum* liberationem Iudeorum ex
 seruitute babylonica; esse enim com. 4.
 et cap. LXII, 12. sermonem de aedifican-
 dis Hierosolymis. His ne implicarentur
 difficultatibus interpretes alii, vniuersam
 hanc Iesaiæ orationem dicebant exponere
 futuram felicitatem aliquam, tribuendam
 olim Iudeis, Iesu Christo se submissuris
 et rebus fruituris laetissimis. In haec
 deuia profecto non aberrassent viri magni
 et eruditii, si animaduertissent, Iesaiæ et
 omnibus fere prophetis antiquioribus com-
 mune esse hoc, vniuersam temporis perio-
 dum inde ab exilio babyl. vsque ad ex-
 trema regni diuini, per Messiam consti-
 tuendi, tempora uno orationis ambitu
 comprehendere; adeoque in loco Iesaiæ
 excitato praedici et exilii babyl. finem,
 et restituenda reipublicae iudaicae initia
 Messiae in terris aduentum et regni sui
 latissime patentis instauracionem; atque
 hanc ipsam ob causam Christum hoc Je-
 saiae oraculum iusta interpretatione suis
 ad-




adficare potuisse temporibus. Describit enim vates diu. in vniuersum magnam beneficiorum copiam Iudeis et gentibus comparandam, et non primis tantum, exilio finito, temporibus, sed omni aeuo futuro, (praesertim Messiano,) illis impertiendam: nam Israelitas dicit aeterna fruituros laetitia Cap. LXI, 7. eos celebres fore inter gentes; *felicem dei progeniem*, com. 9. honoribus et gloria exornatam, com. 10.; illos insigni usuros felicitae, spectantibus omnibus gentibus, com. 11. et Cap. LXII, 2. nouum gesturos nomen ab ipso Iehoua inditum, (mutata videlicet publica per Christum religione com. 2. et coetu novo collecto); hanc nouam ecclesiam non fore amplius a deo derelictam, sed adamatam semper; atque hanc ipsius felicitatem iri annunciatum *omnibus terrae gentibus*, com. 11. Quae beneficia illustria, quod si quis ipsis Iudeis siue ante, siue post Christum natum contigisse dixerit, nae is esset historiae inscitiam magnam proditus, et multis se implicaturus in interpretando difficultatibus. Sed omnia plana erunt, et in aprico posita, si con-
sider-

sideres, Iesaiam descriptsse vniuersam temporum meliorum periodum.

Pari modo in explicando loco Cap. XXV, 6—8. de conuiuio aliquo lauto, a deo omnibus gentibus parando, interpretes in varias abeunt partes, aliis de conuiuio per Christum omnibus gentibus praecipue in s. coena parando cogitantibus, aliis tantum de conuiuiis sacris, a Iudeis et Profelytis, finito exilio Babyl. instituendis. Hoc qui paeferunt, prophetae verbis com. 8. insertis, *subiget mortem in perpetuum*, vim fere omnem adimunt, et loci sensum valde extenuant. Explicant enim sic: deum promisisse, se omnes tristitiae cauñas remoturum. Ac ne hoc quidem genti Israelitiae posthac contigit. Nam multis saepe magnisque periculis et miseriis pressos, et sub Antiocho Epiph. propemodum suppressos fuisse, inter omnes constat. Nisi igitur vatem diu. magniloquentiae alicuius inanis accusare velis, de alia quadam re longe graviori tibi erit cogitandum. Et de quanam quaeso? De vniuerso nempe beneficio-


rum



rum cumulo, *Israelitis et gentibus*, ad dei
veri cultum conuersis, collato, inde a
restituta Iudeorum republica vsque ad
Messiae tempora felicia. Atque his ver-
bis sensum subesse adeo late patentem,
intelligitur cum ex ipsa verborum com-
page, tum ex analogia prophetica et per-
petua Iesaiæ consuetudine. Quod ad il-
lam attinet, considerandum est in primis
hoc, vatem describere conuiuum *gentibus*,
Babylonia a Cyro capta, parandum. Ex
quo efficitur, huius beneficii a deo pro-
missi *initia* ponenda esse in restauratorum
Hierosolymorum tempore, quo multi ex
gentibus vna cum Israelitis ad Iehouam
colendum in vrbe hac et templo conflu-
xere, laeta celebraturi conuiua sacrificia-
lia. Sed in hoc temporis punctum non
includenda esse, quae deus hoc promitte-
ret oraculo, intelligitur vel potissimum ex
eo, quod conuiuum non tam Iudeis,
quam *gentibus et quidem omnibus* (גַּוּלָה) *gen-*
tibus parandum, deinde, quod velamen,
non Iudeorum modo, sed et *gentium facie-*
bis obductum, ablatum, seu omnes tristi-
tiae caussas a deo remotum iri praedici-
tur.

tur. Hoc enim nullo alio nisi doctrinae
salutaris adiumento factum esse, in hoc
omnes consentiunt. Atqui gentes non
vno temporis momento, sed per omne
aeuum, inde ab exilio Babyl. vsque ad
destructionem Hierosolymorum secundam
delapsum, sensim sensimque Iehouae sacris
imbutas esse, cuius patet. Quare si quis
vniuersum huius loci sensum accurate de-
lineare cupiat, incipiat necesse est ab illo
temporis momento, quo in templo resti-
tuto gentium magna copia deum sacrificiis
colere coepit; non autem subsistat hoc in
huius beneficij limine, sed perget ad se-
quentia tempora, quibus, proselytorum
numero quotannis mirum in modum au-
cto, templum Hierosolymitanum *precum
domus appellari poterat omnibus gentibus aper-
tum.* (Ief. LXVI, 7.) - Atqui ne sic qui-
dem mihi sensus oraculi profundus penitus
exhaustus esse videtur. Nam a Christo
demum (*sacrificio pro omnibus gentibus in
cruce deo oblato*), mors in perpetuum
subacta seu peccati poena in sempiternum
est remota, atque hoc ex tempore ad
omnes terrae gentes laetus perlatus est

nun-



nuncius , omnis tristitiae , malorum om-
nium caussas penitus esse sublatas , Matth.
XXVIII, 19. Eph. II, 12. &c. Haec in-
terpretandi ratio confirmatur cum Iesaiæ
oraculis multis aliis , tum ipsa re per Chri-
stum praestita. Solebat enim Iesaias fae-
pius adhibere hunc loquendi modum , vt
beneficia , Israelitis ope religionis et in-
primis mediante Messia conferenda , ima-
ginibus , a cibo et potu sumtis , delinear-
et; quod vt exemplis aliquot probem ,
Cap. LV, 1—4. et LXV, 13—25. in
medium producam. Primo quidem loco ,
com. 3. et 4. *aeternum laudari foedus* , per
Messiam deum inter atque Israelitas pan-
gendum , dubio caret. Est enim in hoc
oraculo repetitio breuis illustris argumenti ,
capite IX, 5. 6. &c. expositi. Altero au-
tem loco Cap. LXV, 15—25. aureum il-
lud viuis coloribus pingitur seculum ,
quod Cap. XI, 1. &c. erat descriptum.
In utroque loco felicitas per Messiam Iu-
daeis et gentibus ceteris comparanda ,
cum laetitiae alicuius sempiternae vsu
coniuncta , conuiuii imagine adumbratur.
Eadem ratione Christum ipsum in sermo-
nibus

nibus multis vsum esse, cui haec, a me exposita, legenti non in mentem veniat? Exempla enim crebra in Euangelistarum commentariis occurrentia omnibus nota sunt. Ioh. VII, 37. Cap. VI, 35. &c. Luc. XVI, 16.

His omnibus, in vnum collectis, probari posse censeo, Iesaiam Cap. XXV, 6—8. vniuersam vno sermone complecti temporis periodum inde a reditu Israelitarum ex captiuitate vsque ad Christi in coelos ascensionem praeterlapsi. Nec obstant huic interpretandi rationi, quae de Edomitis subigendis propheta protinus addidit. Cecidit enim vere huius populi subiectio sub Israelitarum imperium in hanc, quam descripsimus, temporis partem.

Vaticinium huic nostro omnino simile Cap. XLIX, 7—29. ad eandem interpretandi regulam tractandum est, si verum illius sensum planum reddere et perspicuum cupias. Sunt quidem interpretes magni nominis, qui sentiant, locum vniuersum intelligendum esse *tantum* de reditu

P populi

populi iudaici ex captiuitate, nec nisi admodum coacte de temporibus N. T. explicari posse. Ac in eo quidem recte iudicant, loqui vatem de reditu Israelitarum ex exilio; at de uno hoc temporis momento? Quis hoc credat, lecto commate vi gesimo tertio? Reges erunt nutritores tui et feminae principes tuae nutrices; humili supplices te venerabuntur et tibi seruient. Quo tempore quaeso talia contigerunt coetui Israelitarum ante Christi in his terris aduentum *)? Cyrum quidem et Darium mag-

*) Accurate Theodoretus in Interpret. Ies. ad Cap. LX. (pag. 380.) οτε γαρ εθνη, οτε βασιλεις μετα την απο Βαβυλωνος επανοδον Ιεδαιοις εδελευσαν, τη δε τε Θεος εκκλησια δελευστι, et paullo post ad v. 16. ποιων βασιλεων η παλαια Ιερεταλη μετα την επανοδον εκομισατο πλετον; η ποιων εθνων, καθαπερ γαλα την των αγαθων εθηλασεν αφθονιαν. — αυτη γαρ διηνεκησ και τα βασιλικα δεχεται δωρα, και τα παρα των νθνων προσφερομενα κομιζομενη, τον τετων αιτιον ανομυνει. Eandem interpretandi rationem adhibuerat Hieronymus in Commentar. Libr. XVII. ad Cap. LXI. Ies.

magni fecisse Iudeos, in exstruenda vrbe auxilium tulisse, contra iniurias hostium defendisse, quis negat? At enim vero qui haec beneficia, Israelitis collata, tantum describi potent, verborum loci allegati postremorum vim et potestatem profecto non assequuntur: *suplices te venerabuntur, tibi seruent.* Cur itaque contrahis in annorum paucorum spatiolum *vniuersam temporum feliciorum periodum*, quam Iesaias com. 6. describere inceperat et commate 23. repetita vice verbis expressit? Cur non obseruas cogitandi et scribendi rationem prophetae consuetam, qui, quod paucis modo dixerat verbis, fusius statim exponere solet, qui, postquam com. 6. praedixerat, non populum modo Israeliticum e captiuitate reducendum, sed et salutem a deo procreandam *omnibus imperitiendam esse gentibus in extremis usque terrae regionibus sitis*, carmine prolixiori haec repetit, et a fine exilii exordiens pergit usque ad gentium conuersionem illustrem, vi et ope doctrinae euangelicae efficiendam, qua vniuersi populi, luce veritatis collustrati, Christo nomen erant daturi et

P 2 genti

= = =

genti sanctae subiecti, principes feminae et reges religionem veram supplices veneraturi. Hoc interpretandi modo adhibito nobis etiam cautum est, ne sine idonea ratione prophetis tribuamus rerum spirituallium intelligentiam maiorem, quam qualem attingere possent. Statuunt enim interpretes quidam, vates Israelitarum ex captiuitate redditum eam ob causam *verbis adeo magnis et multis orationis luminibus illustrasse*, quod respexissent ad *antitypum totius huius oeconomiae V. T.* nempe *ad fundationem ecclesiae N. T.* Valde autem veremur, ut argumentis sat firmis probari possit hoc, prophetas ipsos sub imagine liberationis populi sui ex captiuitate aliam *liberationem spiritualem cogitando affecutos esse*. Eiusmodi enim mascula sentiendi ratio nobis, N. T. doctrinae et typologiae Paullinae adsuetis, facilis, aliena fuisse videtur ab infantia illa veterum *). *Coniungebant potius vates animo redditum ex captiuitate*

*) Haec ne secus, atque ipse intelligam, interpretentur lectors, mentem meam in observationibus sequentibus paullo prolixius exponam.


uitate et Messiae aduentum; illum totius periodi felicioris initium constituendo, non typum. Quod ut plurimum locorum consensu comprobetur, his aliquot addamus ex eiusdem prophetae libro petita.

Cap. LII, 11. 12. Iesaias Iudeos in regno Babylonico dispersos ita alloquitur: *discedite! migrate hinc, immundum ne tangite — purgate vos, qui vasa Iehouae sacra portatis — Ioua vos praecedet et agmen verstrum claudet deus Israelitarum.* Hoc autem sermone finito nouum protinus exorditur seculum; quo Messias, dei seruus, opus verae religionis constituendae incepsum feliciter executurus sit, et notitia dei salutari multas gentes imbuturus. Cap. LII. et LIII.

Ratione simili Cap. LIX, 16. — LX. Israelitarum felicitas, post redditum ex captiuitate restauranda, Messiae in his terris aduentus et omnium gentium ad dei veri cultum in uitatio uno sermonis tenore et ambitu arctissime copulantur Cap. IX.

P 3

Hoc



Hoc cum nostri aeui interpretes quidam non animaduerterent, Vitrinæ adsentientes, vniuersum oraculi, capite LX. expofiti, argumentum ad extrema retulerunt generis humani tempora, post vniuersalem aliquam Iudeorum conuersionem. Alii in seculi post Christum natum primi vel etiam secundi et tertii fines incluserunt eam ob causam, quod illo temporis spatio gentes, quarum nomina Cap. LX. recensentur, Christianis sacris initiaæ sint. Hac ratione euenit, vt vtrique *particulas tantum quasdam* promissæ felicitatis, non *vniuersam* viderent illius summam, a Iesaiâ exhibitam. Incepit enim populi salus, a deo restituta, tempore finitae captiuitatis Babylonicae; creuit sensim sensimque, variis sub rerum discriminibus vsque ad Messiae seculum; Christo autem in coelos demum sublato, felicitas per eum generi humano parta omnibus tandem notificata est gentibus, auëtus fere quotidie cultorum Iehouæ numerus, finesque regni spiritualis adeo extensi sunt, vt omnes fere nationes in oriente dei potentiam et in occi-

occidente eius maiestatem reuereri inciperent. At caue, finitum ne putas illustre opus a vate Cap. LX, II. &c. descriptum. Mihi quidem probe ponderanti omnia, et comparanti hunc prophetae sermonem aliis similibus, consideranti denique scopum ope religionis assequendum, h. e. felicitatem vniuersi generis humani in omnibus terrae regionibus restituendam, mihi quidem tam certum est, quam quod certissimum, deum hoc aliis multis oraculis promisisse, se veram sui notitiam ope nouae religionis, à Messia fundatae, omnibus gentibus, vsque ad *extrema huius mundi tempora* existentibus, communicaturum, neque vnuquam cessurum ab hoc opere, vsque dum in vniuersa terra inter omnes populos cultus sibi gratus ad promouendam generis humani salutem sit institutus. Atque sapientissimum hoc et admirabile Dei decretum, solatii plenum et ad spem fidei alendam maxime idoneum, capite LX. Iesaiæ exponi, ipsum docet sermonis argumentum et ipsa orationis in doles. Iesaias enim com. II. inducens

deum ita loquentem: portae tuae (o urbs sancta! sedes verae religionis) semper patet, nec diu noctuque claudentur, ut liberum aditum apud te habeant gentium copiae &c. hoc certe voluit dicere: per omne aeuum futurum gentes doctrina verae religionis esse imbuendas; nec vñquam desistendum esse iis, quibus instituendarum nationum munus iniunctum esset, ab hoc labore, diu noctuque non fileant, vsque dum in omnibus gentibus essent dei cultores adeo multi, vt vbiique terrarum tenerent imperium. (Ief. LXII, 7. 8.) Protinus enim com. 12. addidit haec: *quaecunque gentes aut regna sese tibi non subiecerint, peribunt et destruentur.* Quare ab orationis scopo longissime aberrare puto, qui autument, haec Iudeis tantum esse promissa et euentura aliquando, cum Christo nomen dederint. Sublata enim est per Christum omnis Israelitarum (natione et sanguine talium) praerogativa; vna est facta ex duabus gentibus ecclesia Christi, cui haec beneficia et cetera omnia promissa sunt, quae continentur prophetarum sermonibus.

Rom.

Rom. IX—XI. Eph. II, 12. &c. Huit
 coetui ex Iudeis et gentibus collecto
 magna illa et illustris spes facta est a vate
 com. 18. usque ad finem huius capitis de-
 scripta: *Ioua lux tua erit perpetua et deus
 tuus te ornabit; (h. e. felicitas tua erit
 perennis) ciues tui (veri scil. et sinceri
 Israelitae) omnes pii erunt; (omnes veri
 dei cultores virtutisque studiosi) perpetui
 terrae possessores, (ad quos terrae dominium
 perueniat).* En victoriam Iesu Christi de
 omnibus gentibus ope verbi diu. subactis,
 quam vates, Psalmi CX. auctor, viuis
 pinxit coloribus et imaginibus praestantissi-
 mis; en regnum ipsius vniuersale et per-
 petuum his in terris constituendum Dan.
 VII, 12. coll. 27.

Scripsi in academia Friderico - Alexan-
 drina in ipsis feriis Natiuitatis Iesu Christi
 clcc LXXXIII.

DE

VATICINIORVM VNIVERSAM
ALIQVAM TEMPORIS PERIODVM
COMPLECTENTIVM

IVSTA INTERPRETANDI RATIONE


SECTIO II.

Vaticiniorum vniuersam aliquam temporis periodum complectentium, quae in doles sit, qualis interpretandi ratio, cum superiori huius commentationis parte generatim exponeremus, hanc primam adiecimus obseruationem: prophetas ante exilium babyl. viuentes, multis locis angusto verborum ambitu vniuersam describere temporis periodum inde a finito exilio, usque ad felix faustumque Messiae seculum; sequitur iam altera, ad iustam oraculorum multorum interpretationem non minus utilis et necessaria-

cessaria: esse loca prophetica, quae eam ipsam
 ob causam, quod magnum comprehendant tempori-
 spatiū, rebus et personis adplicanda sint
 pluribus, natura admodum diuersis. Eiusmodi
 dicendi ratio potissimum obuia est in va-
 ticiniis, quae promissiones continent da-
 tas, siue genti alicui, siue familiae vni-
 uersae; nec non in iis, quae ordinem
 quendam hominum concernunt, lapsu tem-
 poris se inuicem excipientium. Quae loca,
 si, neglecta personarum multitudine in
 iisdem comprehensa, de vna tantum et
 altera interpretari velis, sensum illis siue
 plane absonum subiicies, siue verum non
 ita assequeris, vt omnem eius vim et
 efficaciam animo comprehendendas. Promisit,
 vt exemplo rem illustrem, deus Dauidi
 2 Sam. VII, 16. firmam fore ipsius fami-
 liam regiam in perpetuum, soliumque sta-
 bile in aeternum. Sunt interpretes magni
 nominis, qui censeant, oraculum intelli-
 gendum esse tantum de regibus a Salo-
 mone vsque ad Iechoniam Iudeis impe-
 rantibus; ideoque vocem עולם ex con-
 suetudine Ebraeorum tempus innuere lon-
 gius.

gius. Ex hoc genere est ad hunc locum
Grotii commentatio, omniumque illum se-
quentium. Sed huic interpretandi rationi
obstat vel maxime Psalmus LXXXIX. quo
huius promissionis diu. argumentum fusius
descriptum, aliis verbis ita explicatur:
regnum, familiae Dauidicae promissum,
duraturum esse, quam diu sol luceat et
luna existat, com. 37. et 38. Quae verba
valde dubito, an aliter explicari queant,
quam de tempore *omni* ad extremum us-
que diem futuro. Quod si quis obiciat,
hanc promissionem conditionem habere ad-
iunctam, *si Dauidis posteri verae in deum*
pietati et virtuti dediti fuerint: nego, rem
fic esse comparatam. Absolutam enim et
nulla omnino conditione restrictam esse
promissionem, patet ex commatibus 14 et
15. Cum deliquerit, (Salomo ipsiusque
familia) virga humana illum (et posteros
suos) castigabo; at *benignitas mea ab eo*
non recedet &c. firmum erit regnum tuum in
perpetuum. Idem promissionis absolutae
argumentum repetitur in eodem Psalmo
LXXXIX, 31 — 34. et, quod de Salomo-
ne

ne 2 Sam. VII, 14. dictum erat, ad posteros trahitur his verbis: Quod si ex eo prognati, relicta mea lege, non se gesserint, ut praecepta mea postulant &c. — eorum equidem culpam plagis vindicabo; sed meam erga eum fidem non fallam; meum *foedus non violabo*. Haec cum ita sint, intelligitur, in oraculo 2 Sam. VII, 16. litteris mandato, sineulla restrictione adiecta, Dauidi regnum promitti duraturum usque ad extremā mundi tempora, quam diu sol et luna futuri sunt. Quale autem regnum hoc sit, patet ex authentica horum oraculorum interpretatione Luc. I, 33. Hoc enim loco filio Mariae deus promittit solium Dauidis, quo in Iacobaeorum domum regnet in perpetuum, nec ullus eius regni sit finis. Huius aliorumque similis argumenti locorum auctoritate commoti, interpretum antiquorum plurimi putabant, vniuersum, de quo nobis sermo est, locum (2 Sam. VII.) de Christo pariter atque Salomone valere; de Salomone sensu *litterali*, de Christo sensu *mystico* esse intelligendum; atque huic hypo-



hypothesi mira superstruxerunt interpretationum figmenta. Statuerunt e. c. commate 13. non modo hoc, praedici, Salomonem templum aedificaturum Hierosolymitanum, sed et alterum, *Messiam*, aliquando templum ecclesiae suae conditum in uniuerso terrarum orbe. Simili ratione quae commate 14. scripta sunt, adipicanda esse primum *Salomoni*, quem deus mirum in modum amaret et filii haberet loco; deinde *Messiae*, qui dei filius esset aeternus *). Cum vero ad verba commate 14. sequentia ventum esset: *quod si deliquerit &c.* haerebat aqua; videbant enim de Messia haec dici non posse, ideoque contactos se sentiebant de regibus tantum Iudeorum mere humanis et propriis explicare. Hoc autem modo siebat, ut omnis incerta redderetur huius loci interpretatione. Non enim habebant, quo firmatō insisterent, interpretandi fundatum. Idem accidet omnibus, qui non,

vt

*) Vide ad hunc locum Poli, Patrikii, Calovii, Seb. Schmidii &c. aliorumque Commentarios.



vt decet, vniuersae promissionis argumentum accurate diuidendo, quae de posteris Salomonis tantum sunt dicta, distinguunt ab iis, quae sunt a deo promissa vniuersae familiae Dauidicae. Regnum videlicet Dauidis est quidem *vnum*, a deo constitutum ad verum ipsius cultum in humano genere stabiliendum, et conseruandum ad extrema vsque mundi tempora; sed diuersam habet rationem. Sub initium Palaestinae finibus inclusum, durauit quatuor, et quod excessit, secula. Dein ob peccata a posteris ipsius commissa ad tempus quidem per Chaldaeos sublatum, sed non multo post restauratum et mirum in modum amplificatum est, vsque dum nasceretur Dauidis proles, cui imperium destinatum fuerat semperiternum.

His ita praefunctis solida et accurata vaticinii superioris interpretatio potest superstruvi. In eo videlicet 1) Dauidi ipsiusque familiae regnum a deo promissum est *aeternum*, h. e. eiusmodi, quod duraturum fit

fit ad huius mundi finem vsque *), quam diu homines in his terris sint habitaturi.
 2) Semen seu filius, cui regnum aeternum promittitur, non est *vnuis Salomo*, sed Dauidis *posteri in vniuersum*, in primis reges Iudei eorumque familiae, com. 16. His etiam deus promittit, *se illis fore patris loco*. Haec enim verba non ad Salomonem vnum, sed et ad reliquos ex ipso nascituros reges Israeliticos probos et pietate conspicuos pertinere, intelligitur ex ipsa

*) Ioh. Clericus, interpres librorum historiorum S. S. illustris atque ingeniosus, vocabulum עזילם duplice praecipit ratione esse explicandum; primum indicare *longam annorum seriem* regni terrestris iudaici, deinde sensu *sublimiori* et proprio aeternitatem regni Meissiae. Quae interpretandi ratio tum probabilis fit, cum de vocabulo עזילם in *commatibus diuersis* intelligitur. Commate videlicet 13. de Salomonis posteritate adhibetur ideoque longam tantum indicat annorum seriem, aliquot secula; commate vero 16. de vniuersa Dauidis familia; atqui vero huic *sempiternum*, *numquam iuteritum* promittitur *regnum*. Conf. Com. 25. et 29.


ipsa Iudeorum historia testante, Deum non solum Salomoni, sed et Hiskiae, Iosiae aliisque regibus exhibuisse insignia paterni amoris documenta. Erant videlicet hi reges populi sui, ipsius locum et imperium tenentes, adeoque sensu altiori dei filii *) (Göttersöhne ut v. c. rex Ps. LXXXIX, 28. eam ob caussam *primus regis filius* dicitur: **בָּנֵי בְּכֹר אֶתְנָה**) Denique 3) promissis adiicitur com. 14.

poena-

* Interpretum antiquorum plurimi verba
2 Sam. VII, 14.

אֲנִי אֱלֹהִים לֹא ? לֹא בָּנֵי וְדוֹא יְהֹה לֵי לְבָן ad unum Messiam, Dei filium, retulerunt eam ob rationem, quod Paullus Ebr. I, 5. exemplo suo praeiuerit. Theodoreus autem in Comtentario in epist. ad Ebr. C. 1. Tom. III. edit. Hal. p. 550. locum de humana Christi natura intelligendum esse censet; (*ταῦτα δε πάλιν κατα το αυθεωπίνον εἰρηκές*) non de diuina natura, quod in textu *futurum* legatur, *εγουμαι* ego ero illi in patrem &c. Sed res ipsa et nexus verborum antecedentium pariter atque sequentium docet, com. 14. sermonem esse de *Salomone et posteris ipsius*.

Q



poenarum praedictio et vniuersae familiae
 Dauidicae castigatio. Has poenas Deus
 huic familiae inflxit saepius, pro eo ac
 sapientiae ipsius visum est. Interpretum
 enim ii, qui cum Clerico aliisque in hoc
 loco explicando tantum ad i Reg. XI,
 12. 23. 26. respiciunt, ad has Salomoni a
 Deo immissas calamitates oraculi sensum
 sine omni idonea ratione restringentes,
 partem modo ipsius minimam vident. Pro-
 bauimus enim verbis, ex Psalmo LXXXIX.
 adductis, non vni Salomoni, sed et poste-
 ris ipsius deum has esse poenas minatum.
 Est igitur hic etiam locus ex genere eo,
 quod comprehendit vniuersam temporis
 periodum et plures complectitur personas se-
 inuicem excipientes. Inflxit deus poenas
 Salomoni, Rhababeamo, Achaso atque
 huic quidem acerbiores praedici curauit
 calamitates, quod idolorum cultui deditus
 gratiam ipsius fuerat aspernatus. Sic enim
 Iesaias illi: *immittet Iehoua tibi*, dixit, *tuo-*
que populo et familiae paternae tempora, qua-
lia non fuerunt, ex quo defecerunt a Iudeis
Ephraemita Ies. VII, 17. Cum autem ha-
 rum

rum poenarum vi ad faniorem mentem
 reduci se non paterentur Dauidis posteri,
 deus imperium illis, *ad tempus* a se con-
 stitutum, *ademit*, vrbe Hierosolymitona a
 Babyloniis capta et Iechonia in exilium
 abacto. Atque haec quidem erat *castiga-
 tio familiae Davidiae* durissima longissima-
 que. Nihilo fecius tamen promissio regni
 aeterni manebat firma. Repetiit illam Ie-
 remias sub extremis regni Iudaici tempo-
 ribus Cap. XXIII, 5. et XXX, 9. Repetiit
 Ezechiel XXXIV, 23. et XXXVII, 24. Nec
 deus vlo vnquam tempore remittebat ab
 opere incepto regni sui sempiterni et in
 terris constituendi; sed ipsam populi sui
 inter gentes dispersionem sapientia admi-
 rabili ita moderatus est atque ad eum
 finem direxit, vt verae religionis funda-
 menta in omnibus orientis regionibus, in
 Aegypto et Graecia, ponerentur. Dein-
 ceps vrbe Hierosolymitana restaurata et
 cultorum suorum numero incredibili pro-
 felytorum copia aucto, multorum homi-
 num mentes vterius praeparauit ad reci-
 piendam puriorem rerum diuinarum cogni-

Q 2

tio-



tionem, vsque demum ille veniret, qui,
regno diuino condito, omnibus imperaret
gentibus *vsque ad extrema huius mundi tem-*
pora, filius Dauidis, Iesus Christus Luc. I,
32. 33.

En genuinam ex ipsa Israelitarum hi-
storia petitam huius loci interpretationem,
quae si vera est, vt mihi videtur, exem-
pli loco esse potest, qua ratione tractan-
da sint oracula personarum admodum di-
uersarum loco et tempore a se inuicem
dissitarum pluralitatem comprehendentia.

Si quis huic huius loci explicationi
obiiciat, Dauidem regni eiusmodi *aeterni*
formam non valuisse animo comprehen-
dere; ideoque Iudeorum more de lon-
giori tantum regni sui duratione, non
sempiterno filii alicuius imperio cogitasse:
huic, quid opponam, in prōmtu habeo:
in sensu videlicet oraculi eiusmodi inda-
gando non id modo quaeri, *quid Dauides*
cogitauerit, sed Deus quid promiserit? Nec
erat necesse, vt Dauides omnia videret,
quaē

quae in oraculi verbis latebant inclusa.
Sufficiebat ipsi intelligere mirificam in se
familiamque suam diuinam benignitatem,
quae fine erat caritura.

Hoc autem virum pium exspectasse,
patet ex oratione ipsius huic oraculo pro-
tinus adiecta. Praesta, inquit (2 Sam.
VII, 25.) quod seruo tuo meaeque stirpi
pollicitus es; praesta *in perpetuum*; (et
com. 28. &c.) propago mea per te *perpe-*
tuo maneat. Nam tu, Domine Ioua, pro-
missisti futurum, ut mea propago tuo sit
fauore felix *in sempiternum*; quae verba
qualem vim habeant, ex aliquot Psalmi
LXXXIX. locis supra iam declarauimus.
Idem patet ex Psalmi CX argumento il-
lustri. Dominus enim Dauidis sedens ad
dextram dei sacerdos est et rex *sempiter-*
nus. Intellexit itaque et pie sperauit Da-
uides regnum sempiternum familiae suae
promissum; non intellexit *penitus regni in-*
dolem; nesciuit *tempus*, quando, et *modum*,
quo in terris stabiendum sit.

Q 3


Atque

Atque ex his huc usque disputatis
Psalmis secundus explicandus est, in quo
promissio a Deo per Nathanem Dauidi
eiusque familiae data celebratur. Est vi-
 delicet hoc etiam oraculum in iis, quo-
 rum argumentum maius comprehendit
 temporis spatium et personarum multitu-
 dinem; quod ut paucis tantum hoc
 loco exempli causa demonstremus, partes
 quasdam cantici perlustremus principales.
יְהוָה בָּרוּךְ com. 7. est *beneignum dei decretum*
de regno aeterno Dauidis familiae pro-
missio. Vocabulo בָּרוּךְ eiusmodi vim subesse
pōsse, qui neget, puto esse neminem. Sac-
 pius enim in s. litteris dēnotat *statuta di-*
uina, seu *leges decreto dei factas*, vt Psalm.
 CV, 10. Num. IX, 3. Apud Rabbinos,
 teste Buxtorfio, significatus huius voca-
 buli solennis est, vt *dēmensam aliquam*
et constitutam partem homini cuidam destina-
tam indicet. Et apud Arabes nonnunquam
 vim habet significandae rei promissae et
 iuramento confirmatae, e. c. in versione
 ar. Ebr. VII, 20. *qua re et veritatem*
 denotat *confirmatam*. Ebr. II, 4. In loco
 nostro

nostro autem **¶** decretum dei, seu pro-
 missionem diu. de regno aeterno Dauidi
 datam, non posse tantum, sed vere et
 absque dubio indicare, intelligitur ex eo,
 quod in cantico vniuerso Dauidis regnum
invincible descriptum deprehendimus. Quod si
 igitur Dauides hoc Psalmo enarrat, quae
 ipsi a deo, ministrante Nathane, erant
 promissa; reliquae partes cantici omnes
 ad hunc scopum collineabunt et pro hac
 norma ab interprete erunt tractandae.
 Reges et nationes se coniungentes aduer-
 sum dei vinctum quinam et quales esse
 poterunt? Num eae tantum, quae in
 confiniis Palaestinae circumscriptae sive Da-
 uidi, sive Salomoni bella inferebant, iu-
 gum sibi impositum abiectionae? Neuti-
 quam vero; sed in vniuersum *hostes regni*
Dauidici, quounque tempore et regione vixerint,
omnes. Quidquid molirentur conarentur
 que aduersus familiam Dauidicam, ut eam
 pessundarent et extirparent, id irritum
 futurum promittitur. Etsi vel res cadu-
 cae huius stirpis eo usque delabarentur,

Q 4

vt



ut trunca pusillus remaneret in terra,
tamen non extirpari funditus et eradica-
ri poterit; ex radice propullulabit *surcu-
lus*, Ies. XI, 1. &c. qui, signi loco ere-
ctus, omnes congregabit terrae gentes et
regnum restaurabit collapsum, confirman-
dum a Deo in perpetuum. Ies. IX, 7.
Haec erat magna illa spes, qua delecta-
bantur pii Israelitae; qua in omnibus ca-
lamitatibus publicis erigebantur. Ies. VII,
VIII, IX, XI.

Quamuis igitur non infitier, initia-
tionem etunctionem Dauidis atque victo-
riam ipsius 1 Sam. V. descriptam, (quod
S. V. Knappius in eleganti Psalmorum ver-
sione accurate obseruauit) huic cantico
Ps. II. conscribendo occasionem praebui-
se; censeo tamen Dauidis scopum non
hunc tantum fuisse, vt regnum istorum aut
paucorum aliorum conatus irritos descri-
beret, sed vt simul filio suo Salomoni
omnibusque posteris hanc faceret spem,
nullo vnuquam hostium impetu, nulla vi,
nullis

nullis armis *familiam suam regiam fore extirpatam*; regnum potius ipsius tandem aliquando ita fore confirmatum, ut *unicum sit inter omnia perpetuum*. A vero itaque non aberrant, qui asserunt, molimina hostium aduersus regnum dei, Dauidis, et *Messiae*, commatibus huius Psalmi prioribus describi.

Pari modo reges, quos auctor huius cantici com. 10—13. alloquitur, non tantum illos esse censeo, qui tempore Dauidis et Salomonis conarentur fines regni Israëlitici bello inuadere iugumque sibi impositum excutere. In angustiis eiusmodi profecto non includebatur Dauidis animus et elata spes, quam oraculo, per Nathanem accepto, inceperat alere. Exspectabat potius filium, qui folio diuino impositus, (Psalm. CX.) omnibus dei hostibus, gentibus nimirum, idola colentibus, superatis, regni diu. fines longe lateque sit extensurus, vsque dum Iehouae notitia et cultus in omnibus terrae regionibus stabiliti sint. Ps. XXII, 26. &c. Ad

Q 5

Ieho-

Iehouam se conuertent omnes orbis regiones; coram te adorabunt omnes gentium familiae. Iehoua regnum tenens gentibus imperat. (coll. Ies. XI, 1. 2. LX—LXV.) Directa est igitur Dauidis oratio, com. 10—13, exposita, *ad omnes orbis terrarum reges*, qui ad obedientiam Iehouae praestandam vñquam poterant euocari, et ad eos in primis, qui a legatis Mefiae in uitati sunt ad regem hunc diuinum obsequiose colendum. In hunc enim Dauides oculos habuit intentos, cum Deum inducit ita loquentem: *Ego regem meum in Sionem montem meum sacrum constitui.* Sensus est, si ad superiora respicimus: hostes regni Dauidici, licet vi et armis saeuiant et saeuicuri sint, nihil tamen proficere; qui enim in coelis sit, eos ridere; Deum tandem aliquando publice demonstratum, se Dauidi dedisse regnum immobile; eumque, cum aliquando vñctum suum, regem sempiternum (Pf. CX.), in mundum introducat, diciturum: *ego regem meum creaui in montem Sionis &c.*

Hunc

Hunc regem diuinum Dauides mente
iam videt praesentem, hunc loquentem
audit:

*Narrabo Ichouae decretum, qui mihi dicit:
tu filius meus es; ego te hodie genui &c. te
regem diuinum, Ichouae locum tenentem,
te filium meum publice declarati; tibi me
id roganti gentes subiiciam &c. coll. Ief.
LX—LXV.*

Ex hac huius Psalmi oeconomia, hac
ratione paucis exposita, intelliget iustus
harum rerum aestimator quiuis, huius
cantici argumentum non esse in breuem
vitae Dauidiae periodum includendum;
sed latius patere et in omnes vniuersi
regni diuini fines se extendere; ideoque
non de vno Dauide esse intelligendum,
sed a Dauide, rege diuinitus constituto,
*ad Messiam, Dei filium et regem regni diuini
vniuersalis aeternum deuoli orationem poe-*
ticam. Pauca haec exempla sufficient ad
illustrandam obseruationem *secundam* supra
expositam; addamus *tertiam*:


III. Pro-



III. *Prophetae*, cum in multis oraculis maiorem temporis periodum paucis comprehendant verbis, saepissime ea vtuntur ratione, ut *beneficia ad animos praecipue pertinentia*, seu *spiritualia cum corporalibus, terrenis atque caducis commixta*, *Israelitis promittant*. Quare falluntur, qui in locis eiusmodi sive *spiritualia tantum vident*, sive *tantum bona ad corpus et hanc vitam pertinencia*. Atqui hunc errorem ex veteribus pariter atque recentioribus non pauci commiserunt. Veteres ecclesiae doctores inde ab *Origene* vsque ad *Augustinum*, fere omnes, *Vitrina*, *Geierus*, reliqui hos antesignanos sequentes, in vtraque ecclesia euangelica, multis in Prophetarum et Psalmorum locis promissiones diuinis omnes ad felicitatem trahunt *spiritualem*, qua Messias affeclarum suorum animos largiter expleuit. Quoniam autem eiusmodi oracula multa complectuntur verba, quae vix ac ne vix quidem Messiae temporibus commode adiplicari queunt: recentiorum interpretum plurimi, via illa trita relicta, nouam iniuerunt interpretandi rationem hanc, ut *uniuersa illa oracula temporibus,*

ante

ante Messiae natales defluxis, impleta esse dicant in restituta Iudeorum republica et aucta post haec huius populi *externa felicitate*. Ex vno hoc errore multi nascuntur alii. Interpretes videlicet, de gente *tam
tum Israelitica et terrenis bonis cogitantes*, promissiones diuinias praestantissimas valde extenuant et in loca conuertunt *poetica*, quorum in verbis et orationis luminibus splendidissimis *politica* quaedam et *caduca
descripta sint beneficia*, quibus Iudeis vix vti contigit per vnum alterumue seculum; deinde, cum vident, haec oracula in N. T. libris adplicari ad res *coelestes et spirituales*, meras has esse, perhibent, *acommodationes* ex Iudeorum ingenio; atque sic promissionum diu. per Christum impletarum adeo diminuunt numerum, vt vna vix aut altera remaneat, quae certa ratione *vaticinii veri nomen mereatur*. Quae ratio profecto parum conuenit sermoni domini nostri Iesu Christi, a Luca litteris mandato: haec sunt, quae vobis, dum adhuc vobiscum eram, dixi: scilicet opertere *omnia*, in *Mosis lege vatisbusque et Psalmis de me scripta*, perfici. Luc. XXIV,



44. Nec fere credibile est, Deum, non Iudeorum modo, sed vniuersi generis humani benignissimum patrem, in sexcentis litterarum s. locis de gentis Israeliticae republica, (quae quam exigua fuerit, neminem latet) paucis autem oraculis de vniuersi generis hum. felicitate per filium suum vnigenitum restauranda, locutum esse. Quare nihil me suscepturn spero, quod vel utilitate omni careat, vel a seculi nostril genio abhorreat, si periculum faciam, veram eiusmodi oraculorum indolem accuratius describendi. Quo in labore, vt iusto ordine procedamus, praemittam obseruationem latius patentem, ex ipsa rerum natura et s. scriptura generisque humani historia deriuatam.

Animorum felicitas, ex vera dei notitia veraque in eum pietate originem ducens, cum corporali et terrestri non quidem perpetuam, sed tamen necessariam habet communionem. Ex Dei et rerum diu. contemptu sequitur peccatum; ex peccato miseria humani generis.

Homo

Homo imagine diu. praeditus a peccato immunis in paradisi amoenis regionibus et omnium rerum affluentia vitam agit tranquillam. Quam primum autem cessat, legibus obtemperare diuinis, priuandus est bonis externis, castigandus, et laboribus aerumnisque exercendus. Eandem rationem adhibuit Deus in dirigenda gente Israelitica, fecitque vinculum felicitatis vtriusque, *spiritualis* et *corporalis*, arctissimum. Quamdiu, legibus ipsius obtemperantes, alieni ab idolorum consuetudine; vnum Iehouam coluerunt; dedit illis, proti praedixerat *) agrorum libertatem, in hostes victoriam, omniaque cetera, quae ad populi vniuersi felicitatem possent facere. Cum autem, posthabito cultu et lege diuina, idolis adhaererent pertinaciter, omnis generis poenis et tribulationibus eos persecutus est. Hac ratione deprehendimus pietatis et virtutis studium, in quo omnis continetur animarum salus, ubique fere coniunctum cum felicitate ci-

uili

*) Deut. IV, 1. &c. VII, 33. VII, 13. XI.
XXVII. XXVIII.

uili in promissionibus diuinis per prophetas litteris consignatis. Vates enim, Mo-sen sequentes, ipsius vestigiis insistebant et in promissionibus et minis. Adhibebant rationem, quae, in vniuersum considerata, haec erat: si Israelitae, a Deo castigati, ad meliorem frugem rediissent et cum vero Iehouae cultu omnis virtutis studium coniunxissent, Deum res eorum collapsas restauraturum: Illic (in exilio Assyriaco et Babylonico &c.) Iouam Deum vestrum iterum inuenietis. Deut. XXX, 3—10. Idem hoc argumentum saepius repetitum et fusius explicatum legimus in oraculis Iesaiæ XXV. XXVI. XXVIII. XXX. &c. Ieremiae XVI. XXX. XXXI. Ezechielis XXXIV, XXXVI. Nec in sermonibus tantum prophetarum, sed in ipsa rerum natura et historia cum Israelitica, tum christiana eiusmodi felicitatis vtriusque aliqua coniunctio est obvia.

Finito enim exilio Babylonico, cum res sacra primum et cultus diuini recta ratio esset restituta; redibat etiam antiquus gentis Israeliticae splendor viresque sensim

fensim capiebat magnas noua Iudeorum respublica sub regum Persicorum clementi imperio, seu potius tutela. Tristia quidem posthaec inciderunt tempora, cum Iudaei, Antiochi Epiph. furore agitati, acerba multa ferrent, sed, his calamitatibus superatis, subito effloruit populi universi felicitas. Sed de his alio loco iam diximus, et nota sunt; minus autem obseruatum hoc, rem pari modo se habere in familia christiana. Quanquam enim vera maneat nota illa sententia, Christi regnum non esse mundanum, nihilo secius tamen cum rebus publicis adeo est coniunctum, ut, quo magis genus humanum notitia salutari imbutum, veritatis vi emendatur, eo maiora capiat incrementa communis felicitas; vsque tandem Christi, regis supremi, afflclae omnibus gentibus imperent et pace fruantur, si non perpetua, longiori tamen et multorum bonorum effectrice.

Hanc rerum spiritualium et politicarum, coelestium terrestriumque arctissimam coniunctionem ante oculos habeat propositam cautus vaticiniorum interpres; si rerum omnium copiam paucis nonnunquam ver-

R

bis

bis inclusam euoluere et sensum dictorum
ideis abundantium rite cupiat explicare.
Exhibeamus breue eiusmodi interpretationis
specimen.

Quod Ies. XI, 1—II. &c. exponitur oraculum, a quibusdam regis Hiskiae applicatur temporibus. Hunc regem esse existimant pietate et sapientia conspicuum, qui cum gente sua, ab hostibus liberata, profunda pace sit usus et omnis generis felicitate. Atque hac ratione ex oraculo praestantissimo, summa quaevis beneficia vniuerso generi humano promissa complectente, efficiunt fabulam, similem siue Maronis carmini siue Sibyllae alicuius de aureo seculo nugis. Nihil dicam de vi, quam inferunt singulis fere partibus huius oraculi, torquentes cuncta ad regem illum, qui vix quatuordecim annos post cladem Sancheribiticam salutem aliquam populo suo et otium praestare potuit, quique talis profecto non fuit, qui tanquam signum erectum staret, ad quod gentes confluenter. (com. 10.) De his itaque aliisue contortis loci explicationibus, ut nihil dicamus, ulterius, ad alios nos conferamus interpretes magis tolerabiles.

Docto-

Doctorum videlicet antiquorum plurimi vniuersam interpretati sunt pericopam *tantum de salute animis hominum* per Christum praestanda, de notitia dei rerumque diuinarum, de animi tranquillitate, de spe et amore in Deum, de dulci pace, qua fruuntur mentes piae sub regis nostri Iesu Christi summi imperio.

Haec omnia quamquam vera sunt et a Deo his oraculi verbis praedicta, restant tamen alia iisdem comprehensa, non minus digna, quae commemoarentur, omnia videlicet commoda *politica*, quae Deus humano generi comparauit vi et efficacia religionis per Christum nobis traditae. Describitur Messias ex Dauidis stirpe nascendus com. 3 et 4. tanquam rex, qui miseris opem latus et cauissam illorum pro sua iustitia acturus sit, improbos autem vi sua interfecturus. Idem (pergit propheta com. 6. &c.) efficiet, vt cum agno versetur lupus &c. h. e. vt homines, genere et moribus a se inuicem alienissimi, in vnam coalescant familiam, religionis et amoris vinculo coniuncti; vt pace fruantur et multis commodis ex tranquillitate publica orientibus. Atqui

R 2 Chri-



Christum haec omnia humano generi vere
praestitisse, adeo in aprico positum est,
vt oratione vix indigeat.

Simili ratione Psalmus tractandus est
centesimus decimus. Interpretes quidam,
cum animaduenterent, hoc in cantico he-
roem celebrari in hostes suos triumphan-
tem, de vno Dauide cogitandum esse,
censemabant. Ceteri nonnisi triumphos vi-
derunt Messiae in hostes, quos dicere so-
lent *spirituales*, in Satanam, peccatum et
mortem. Pauci, vt decebat, terrestria
cum coelestibus, accurata interpretationis
lege coniuncta tenuerunt. Hostes videli-
cet Messiae sunt Iudei et idolorum cul-
tores; hos superauit rex Messias vi doctri-
nae et factorum mirabilium per legatos
suos editorum, vicit etiam prouidentia et
sapienti gubernatione rerum humanarum,
qua effecit, vt cultores sui gentes, idolo-
latiae deditas, vincerent. Hac ratione
imperat Christus hostibus suis, et impera-
bit eo vsque, dum omnes ad pedes suos
procubuerint. Quotusquisque est, quin
sponte sua intelligat, beneficia *spiritualia*,
veram Dei notitiam, vires ad virtutem
necessarias, mentis emendationem cetera-
que

que omnia, quae animae salutem concer-
nant, Iesu Christi cultoribus et tum fuisse
iam concessa, cum a Iudeis et gentibus
suppressi, neque pace neque affluentia re-
rum externarum fruerentur; mundi autem
imperium per prophetas veri dei cultori-
bus promissum, *secundum* fuisse genus be-
neficiorum, diuina prouidentia in nos
collatorum. Atqui hoc vtrumque praedi-
ctum est in omnibus locis propheticis, quae
regnum describunt Messiae vniuersale et
aeternum Dan. VII, 7. 27. Amos IX, 11.
12. Ief. IX. LX. LXI. hoc, nisi me omnia
fallunt, Christus suis denuo promisit ver-
bis Matthei V, 5. memoriae proditis;
beati mites; nam ii terram possidebunt;
idemque et Paullus in 1 ad Corinth. VI,
2. an scitis, scribens, sanctos mundum
esse iudicaturos, seu potius recturos?
Caveat itaque oraculorum diu. interpres,
ne partem hanc argumenti prophetici al-
teram plurimis in locis rebus spiritualibus
coniunctam negligat.

Caveat vero etiam, ne cum recentio-
ribus quibusdam ecclesiae doctoribus be-
neficia diu. *ad huius vitae felicitatem spectan-*
tia, coetui christiano promissa, Iudeis data
esse,


esse, existimet. Est hoc vitium nostra aetate commune pluribus, sententiis certeroquin aliis in fidei argumentis maxime a se inuicem discedentibus, de quibus breui sermone nobis dicendum esse existimamus. Auctor anonymous libri, qui superiori anno in lucem prodiit: *Freymüthige Versuche über verschiedene in Theologie und biblische Kritik einschlagende Materien. Berlin und Stettin, bey Friedrich Nicolai 1783.* *) ut opinionem suam de auctoritate spuria libri *Danielis* redderet probabilem, censuit, in oraculo Dan. VII, 14 et 27. *Iudeis* promitti Monarchiam aliquam vniuersalem; quae opinio cum non esset ferenda, collegit inde, oracula *Danielis* esse sublestae fidei. Falsa haec sententia ex his a nobis disputatis facili refellitur negotio. Non enim *Iudeis*, in gentis suae superstitione versantibus manentibusque, data est promissio vniuersalis in gentes imperii, sed *Messiae* affeclis com. 13 et 14. veris *Israelitis*, qui, cum Abrahami fidem imitanter, liberi Abrahami sunt genuini, et terrae heredes. Gal. III, 16—29. Atque

*) Hoc de libro differui fusius in Ephim. *Theologisch-krit. Betracht.* P. I. 1784.

que huius gloriae vna cum Iesu Christo participes facti sunt ipsius cultores in vniuersa Europa ; fient aliquando in toto terrarum orbe.

Hanc nobis datam promissionem cum Venerab. Baumius , ecclesiae euangelicae et verbi diu. minister apud Batauos , multa scripturae s. loca minus recte interpretando , in libro *von dem Nationalreich &c.* *Iudeis* applicaret ; in eam delapsus est opinionem , futurum , vt *Hierosolymis aliquando restauratis* , Iudei omnes Christo nomen dent ; ipse autem (hoc vero admodum simile sibi videri professus est,) Iesus , ex coelo in terram venturus , cum nouis proselytis ceteris terrae gentibus imperet omnibus . Esse enim , (haec est palmaria viri ceteroquin eruditio ratio,) esse genti Israeliticae a Deo *regnum* promissum *nationale terrestre* , simile *Dauidico* . In hoc quidem verum vidit , Iudeis , *Christi affecis* , imperium in gentes esse promissum ; sed fine idonea ratione hanc promissionis diu. partem terrestrem et politicam seiunxit a *spirituali* ; et eam , in extrema relegatam mundi tempora , minus recte Iudeis tantum tribuit proselytis . Tenent enim Chri-

R 4 stiani



stiani magnam iam huius imperii partem et dominantur multis in terrae tractibus cum rege et capite suo in ipsius aduersarios.

Ex his etiam facile colligi poterit, quale sit pretium statuendum locorum propheticorum multorum interpretationibus a celeberrimo Michaele exhibitis in observationibus bibliorum versioni praestantissimae annexis. Saepius enim repetiit sententiam sibi valde gratam *), Iudeos, sacris christianis imbutos, aliquando in terram et urbem suam restitutos, regnum condituros eximum et praepollens, atque hoc regnum a vatibus diu. e. c. Iesaiam esse descriptum.

Ex ea in primis rerum politicarum et spiritualium perpetua coniunctione, quam paucis explicuimus, efficitur, ut vates diu. ab uno genere ad alterum subito transeant. Quas *subitaneas* orationis conuersiones, si non accurate obseruant interpretes; falsas excludunt locorum multorum explicationes. Sermonem enim, quem vindicant

*) Vide e. c. obseruationes ad Cap. LIX. Iesaiam; ad Cap. II. et VII. Danielis, ad Psalm. LXXII, 8. aliaque loca similia in prophetis minoribus.

dent beneficia quaedam politica describere,
negant comprehendere spiritualia, et quem
spiritualia, negant politica. Quae ratio
interpretandi praeposta ntitur hypothesi,
prophetas in loco uno *vnum* tantummodo
tractare rerum *genus*, quod tamen aliter
se habere docuimus. Vniuersa gentis Is-
raeliticae felicitas vatibus sacris versatur
ante oculos; haec vero continetur tum
iis bonis, quae cum vero dei cultu com-
munionem habent, tum iis, quae reipub-
licae salutem conseruant et augent. Pro-
phetae igitur, spiritu dei acti, animoque
valde commoti, vt fit in affectuum im-
petu, modo in haec, modo in illa aciem
oculorum conuertentes, vtraque commixta
oratione nectunt et saltu quasi subito ab
his ad illa recedunt; siue salutem, animis
vi verbi diu. procreandam, imaginibus ab
huius vitae felicitate petitis, illustrando,
siue fidem faciendo sermonibus suis pro-
missione bonorum terrestrium, quae sua
adhuc aetate Deus Israelitis impertiret.
Eiusmodi sermonis exemplum suppeditat
Iesaias capite VII — IX. Argumentum
fere totum est e genere ciuili. Regi
Achaso a Rezin et Peka, regibus Assyriae

R 5

et

et Samariae, graui bello fere suppresso Iehoua promisit auxilium et liberationem. Quam dei benignitatem cum rex incredulus sperneret; (Cap. VII, 12.) ad *familiam Davidicam*, ad cuius interitum reges utriusque aduersarii foedere maligno se copulauerant, (com. 13.) propheta orationem dirigens, praedixit: irrita fore conamina hostium; *Davidis familiae* (cui nempe Deus aeternum promiserat imperium) regnum non posse eripi; nascendum potius esse a virgine puerum *Immanuelem*. Iam vero protinus ad Achasum regem reuertit, huiusque regis, idolatriae dediti, posteris mala minatur multa et calamitates acerbissimas. Sic diuina humanis, spiritualia politicis rebus arctissimo nexu cohaerent. Male igitur argumentantur, qui rationes ita subducunt: Quia argumentum vaticinii, Ief. VII. consignati, res concernit ciuiles, bellum et pacem aevo Achasi Iudaeis restitutam; ergo promissio (com. 14.) de Immanuele in idem tempus includenda, nec ad Messiae natales trahenda est. Male, inquam, procedit haec argumentandi ratio, quoniam prophetis consuetudo est fere communis, ut spiritualia ex regno Messiae petita

petita ciuilibus rebus, vel praesentibus,
 vel proxime futuris ingerant. Tenuit in-
 primis constanter Iesaias hunc modum.
 Cum enim capite VII, 19—22. Assyrio-
 rum describeret irruptionem in Iudeam,
 statim ad meliora processit tempora, a
 Messia genti suae paranda Cap. IX, 1—7.
 Nunc exercitui regis Sancherib minatur
 interitum sub imagine magni saltus excisi
 Cap. X, 34. nunc subito conuertit animum
 ad surculum generosum ex trunco Isai
 aliquando pullulascentem. Cap. XI, 1.
 Pro hoc vatis more consueto loca etiam
 alia explicanda sunt, in quibus interpretes
 vt plurimum sive spirituales sive ciuiles
 tantum res deprehendere solent. Sic, vt
 exempla addamus pauca, Ezechiel Cap.
 XXXIV. graui oratione inuehit in impro-
 bos Iudeorum iudices. His autem rebus
 ciuilibus occupatus, medium in sermonem
 intexit oraculum illustre, de *Dauide* rege
unico et optimo gentis Israeliticae com. 23.
 Hunc esse Serubabelem, quidam interpre-
 tes existimant quidem, primum eam ob
 causam, quod oracula ad tempora trahenda
 sint proxima, deinde, quod vates sublato
 magistratu iniusto et tyrannide, promittat

melio-

meliorem atque felicitatem ciuilem com.
 27. 28. &c. Minus autem idoneam esse
 huius loci explicandi rationem , intelligi-
 tur ex loco parallelo Cap. XXXVII , 25.
 quo idem ille , qui *Dauidis* nomine loco
 priori erat insignitus , *rex aeternus* dicitur ,
 qui , foedere aeterno Deum inter atque
 Israëlitas constituto et cultu diuino restau-
 rato , iis imperaturus sit in sempiternum .
 Quae omnia in Serubabelem adeo non
 quadrant , vt nisi qui historiae iudaicae
 plane ignarus sit , de eo dictum esse , cre-
 dere valeat . Quid ergo de loco isto ca-
 pitis XXXIV. fiet , mere , vt videtur , poli-
 tico ? Exigendus est ad normam supra
 traditam . Vates nimirum , cum inopibus
 et suppressis ciuibus cuperet doloris ali-
 quod leuamen adplicare eorundemque ani-
 mos erigere , nullum in promtu habuit re-
 medium efficacius , eo , quod spem faceret
 meliorum temporum , quae *Messias* , *Dau-
 idis filius* ipsique similis , genti suae compa-
 raturus sit ; hunc res Iudeorum sacras
 collapsas erecturum ; hunc salutem aeter-
 nam genti suae praestiturum in regno fine
 carituro . En beneficia *piis animis* pro-
 missa cum *civilibus arctissime connexa* .

Pari

Pari modo vtraque coniuncta deprehendimus in vaticiniis Amosi Cap. IX, 9—15. Nam com. 9. clades praedicuntur Israelitis ab Assyriis et Chaldaeis inflictæ; com. 13. &c. redditus populi ex exilio, terrae fertilitas, frugumque vberitas. Ex harum rerum ciuilium indole, qui, vt faciunt quidam doctores, colligere vellet ea, quae promittuntur commate interiecto duodecimo, vniuersa ex eodem esse genere, nae is valde erraret. Deus enim Israelitis, in patriam restitutis, hoc loco non tantum promisit imperium in Edomitas, sed in omnes gentes, *super quas nomen Iehoua* pronunciatum fuerit, id est, qui Iehouæ nomen dederint. Atqui vero Deum Iehouam colunt omnes gentes, quae *sacris christianis* imbutæ sunt; ergo imperium promittitur id, *quod Christus per eccelas suos gerit in gentes sibi subiectas*. Iesum enim Nazarenum domum Dauidis collapsam restituisse et imperium vniuersale, Dauidi promissum, gerere, non est, vt denuo probemus. Atque hoc sensu Iacobus, in oratione coram ceteris apostolis



stolis habita hunc locum non *accommoda-*
tione (quam dicunt) adplicuit, sed tan-
 quam oraculum, de Messia dictum, rite
 interpretatus est, Act. XV, 16. &c. postea
 reuertar et collapsum Davidis tabernaculum
 reficiam dirutumque restituam — ut hominum
 reliqui et omnes gentes, a me denominatae, do-
 minum quaerant.

Hunc et nos quaeramus pia animi de-
 uotione per hos dies festos, celebrandois
 in memoriam optimi seruatoris, pro no-
 bis necati et resuscitati ex mortuis; hunc
 regem supremum et omnium rerum mode-
 ratorem, dominum nostrum Iesum Chri-
 stum, sacrificiis purae et castae mentis,
 gratiarum actionibus laudibusque venere-
 mur, et quod maximum ipsique gratissi-
 mum est, vera animi pietate et bonis
 actionibus per omnem vitam colamus!

Scripsi in academia Regia Friderico-
 Alexandrina in ipsis feriis paschalibus
 ccccclxxxiv.



DE

V.

DE

ARGVMENTO QVODAM AD
RELIGIONIS REVELATAE VERITATEM
CÓMPROBANDAM EX DEI VERI
CVLTORVM VICTORIA
PETENDO.


~~~~~

**E**tsi non tanta, qua fieri solet, argu-  
mentorum, ex antiqua historia peti-  
torum vi et copia, comprobari posset,  
primos veritatum euangelicarum docto-  
res viribus exornatos fuisse praeternatu-  
ralibus, eum in finem, ut fidem sermoni-  
bus suis et testimoniis de Christo prola-  
tis conciliarent; ex ipsa tamen rerum,  
ab illis gestarum, indole et felicitatis  
nostrae, e fide in Christum natae, vber-  
tate, satis superque intelligeretur, hos  
domini nostri Iesu Christi legatos in pro-  
paganda et stabilienda, quam gentibus tra-  
debant, religionis veritate, diuino aliquo  
et peculiari adiutos esse auxilio. Nemo  
est enim fere adeo omni ingenii acumine  
destitutus, vt non videat, rerum optimarum  
intelligentiam, virtutis studium, ani-  
mi tranquillitatem ceterorumque beneficio-  
rum summorum, quibus religione chri-  
stiana imbuti fruuntur, copiam, admirabilem  
deinde rerum humanarum conuer-  
sionem,

fionem, vi et ope religionis christiana*e*  
 in vniuersis imperiis atque rebus publicis  
 factam, ab eo profectam esse, qui omnium  
 bonorum fons et auctor est. Hac in ani-  
 mi persuasione confirmabitur quisque pro-  
 be consideratus, quinam fuerint, quo-  
 rum opera et studiis haec tanta nobis  
 felicitas contigerit, videlicet viri ex ple-  
 be nati, litteris, eloquentia, opibus, sub-  
 sidiisque reliquis, quibus auctoritatem sibi  
 conciliare solent homines, destituti, in  
 paupertate vitam degentes, despiciunt et  
 ludibrio habiti ab Iudeis atque ceteris  
 gentibus. Quare Paullus atque reliqui Ie-  
 su legati non eloquentiae vi, non verbo-  
 rum argumentis, arte humana compositis,  
 sed spiritus sancti virtute atque potentia,  
 miraculis atque portentis se superstitionem  
 vicisse profitentur. Multa cum infirmitate,  
 (inquit Paullus i Cor. II, 3.) metu et tre-  
 more versatus sum apud vos; non per-  
 suasoriis humanae sapientiae orationibus,  
 sed spiritus potentiaeque diuinae demon-  
 stratione usus sum, ut fides vestra non  
 in hominum sapientia, sed in Dei poten-

S

tia



tia sita foret. Pari modo aliis in locis  
subsidia descripsit, quorum auxilio super-  
stitionis et vanae sapientiae figmenta ab  
Apostolis profligenda atque prosterunda  
essent. Rom. XV, 19. 2 Cor. XII, 12.

Haec autem primorum Iesu Christi  
legatorum de superstitione relata *victoria*  
initium modo erat occupandi et Deo  
subiiciendi vniuersi generis humani. Mox  
enim incrementa cepit regnum diuinum  
admirabilia, sensim sensimque se extulit su-  
per cetera gentium imperia, tandemque  
in vniuersa fere Europa de superstitione  
triumphum egit laetissimum atque glorio-  
fissimum. Ex his igitur coetus christiani  
initiis atque fatis argumentum pro veri-  
tate huius doctrinae colligi posse videtur  
satis firmum. Nam in rebus historiae non  
profanae tantum, sed et sacrae, in qua  
nititur spes et fides nostra, argumenta  
non requiri alia, quam quae persuadendi  
vim habeant et *fidem firmam* gignant, hoc  
quidem religionis reuelatae aduersarii no-  
bis hodie concedent eo libentius, quod  
hac

hac nostra aetate a philosopho ingeniosissimo rationibus multis confirmatum sit, ne quidem ad comprobandam Dei existentiam posse reperiri alia argumenta, quam quae gignant firmam animi persuasionem; non postulandas esse hoc in genere demonstrationes, quales in rebus mathematicis atque in notionibus puri intellectus requirere soleamus; argumentorum autem, quibus philosophi *vnum Deum* esse demonstrare fatagerent, plurimorum vel omnium tantam esse difficultatem tantamque subtilitatem, ut iis vel nihil, vel parum efficiatur, quod praeter *Kantium* iam pridem \*) *Zierlinius* vberius docuit. Quod cum ita sit, quiuis harum rerum iustus arbiter facile concedet, Mosen et, qui illum sequerentur, vates diuinos non rationum metaphysicarum subtilitate, sed argumentis, ex genere *historico* petitis, et factis in sensus incurrentibus Israëlitis demonstrare debuisse, *Iehouam verum eumque unicum esse Deum*. Hoc enim argumento-

S 2 rum

\*) In libro: *Sagt denn die Vernunft in der That so viel über Gott &c.* Berl. 1781.



rum genus temporibus istis, cogitandi rationi populari et in primis Israelitarum ingenio erat accommodatissimum.

Huiuscemodi etiam est ille veritatis probandae modus, de quo per hanc occasionem pauca differere animo constitui-  
mus, videlicet religionem reuelatam *Mosis ope Israelitis traditam*, diuinae esse originis,  
*hoc victoriis etiam, de hostibus regni diuini relatis, esse stabilitum.* Hujus argumenti  
quaenam vis sit, primum videamus, postea autem discutiamus quaestionem: an et  
quatenus hodie ipsius reuelatae religionis  
victoria vim veritatis probandae habeat?

Antequam autem huius argumenti rationes ipsas exponamus, lectores monen-  
dos esse existimamus, ne fibi persuadeant,  
nos id agere velle, vt demonstremus,  
huius argumenti vi hac nostra actate ani-  
mos aduersariorum, acriter contra nos  
dimicantium, esse conuincendos; labor  
enim noster versabitur potissimum in eo,  
vt explicemus modum, quo Israelitae,  
quo

quo et aliae gentes priscorum temporum  
 conuictae sint, *Iehouam unum esse Deum re-*  
*ligionemque, ab eo reuelatam et constitu-*  
*tam, non superstitionem esse, sed veram*  
*et diuinitus humano generi traditam.* Hoc  
 vt eo facilius intelligatur, reuocandi sunt  
 in memoriam errores de deorum dearumque  
 copia priscais temporibus longe lateque in-  
 ter omnes fere gentes dispersi. Non igitur  
 Mosis aetate lis erat inter gentes hac  
 de quaestione: *an sit Deus?* sed potius  
*vtrum hic, an ille Deus sit verus,* sit cete-  
 ris fortior, fit omnium fortissimus? Qui-  
 busnam igitur argumentorum auxiliis con-  
 uelli poterant idolorum cultores; quibus-  
 nam rationibus conuinci, Numen, quod  
 Abrahami posteri colerent, supremum at-  
 que potentissimum esse Deum? Ad hanc  
 veritatem confirmandam nihil aptius, nihil  
 efficacius esse poterat, *victoria de idolo-*  
*rum cultoribus reportata.* Argumenti huius  
 construendi Deus ipse fundamenta posuit  
 in promissionibus Abrahamo posterisque  
 ipsius datis. Cum enim primum Abra-  
 ham polliceretur, ab illo oriturum, per

S 3

quem

quem omnes gentes redderentur beatae,  
 addidit etiam promissionem hanc , fami-  
 liam Abrahami *hostium suorum portis esse*  
*potituram* Genef. XXII, 17. Hanc vi-  
 toriae spem aluisse etiam videtur Iacob mor-  
 riturus: Gen. XLIX, 8. &c. Exspectabat  
 videlicet pius senex , fore , vt posteri  
 ipsius gentes supererent terram Canaan in-  
 colentes , vt reges complures ex familia  
 ipsius oriantur, quorum regna a Deo, quem  
 coluerit , constituta per longum tempus  
 duratura sint, quod non fieri posse intelli-  
 gebat sine bello , sine *victoriis*. Iam vero  
 familia eius pastoritiam agebat vitam in  
 Aegypto , nec armis adsueta erat , nec in  
 bello exercitata. Quomodo igitur spem  
 concipere poterat Iacobus , illam hostes  
 suos superaturam sine *peculiari Dei sui*  
*auxilio*? Hoc itaque vaticinabatur verbis  
 sequentibus : "Iuda , te tui celebrabunt  
 fratres , manus in hostium ceruices ini-  
 cidentem . — Quando infestis telis prouo-  
 cabunt Iosephum sagittarium , eius arcus  
 fortissime persistet , brachiorum lacerti cor-  
 roborabuntur a numine Iacobi ." ( com. 8.  
 et 23.) Ex his similibusque locis intelli-  
 gitur

gitur, Deum ipsum instillasse Israelitarum animis spem victoriae, ac cum postea eam saepius in rebus difficillimis maximisque angustiis illis tribueret, ex huius promissio-nis implemento nascebatur fiducia in Deo *fortissimo* posita, confirmabaturque mens in veritate iam agnita, Deum Abrahami su-premum esse Deum, conditorem mundi et rectorem.

Non quidem neglecta penitus posthaec, sed tamen in Israelitarum animis aliquan-tum obliterata esse videtur haec diuina rerum magnarum promissio. Cum enim terram Gosen inhabitarent, rerum bellica-rum auspicandarum illis nulla erat occasio. In pascuis vitae tempus consumentibus nihil optabilius iucundiusque esse poterat, pace atque otio. Iugo deinceps tyranno-rum suppressi, miseriae leuamentum et ex his vinculis liberationem quidem optabant, sed seruilibus negotiis tandem assueti Ae-gyptiorum imperium patienter tulisse, quin imo Aegyptiorum Deos timuisse videntur: Jof. XXIII, 4. Colebant quidem Abra-hami, Isaaci et Iacobi Deum, sed tanquam

S 4 Deum



Deum *familiae suae*, ceteris populis colentibus Deos gentilitios atque lares suos. Ne igitur idolatriae fluctus humanum genus inundarent vniuersum, agger erat obiciendus, vt reprimerentur, vtque veri Dei notitia cultusque, illius numine dignus, restauraretur. Quibusnam autem potissimum argumentis cum Aegyptii, tum Israelitae ipsi conuinci poterant, Deum Abrahami *summum esse Deum*, conseruantem atque regentem omnia? Oleum profecto et operam perdituri fuissent Moses et Aaron, si eloquentiae vi et rationibus, ex ipfa rerum natura petitis, hoc efficere voluissent: nam nec Israelitae, nec Aegyptiorum plebs, quin imo ne eruditii quidem et Magi horum argumentorum subtilitatis percipiendae capaces fuissent. Non tam igitur verbis, quam *factis* demonstrandum erat, Abrahami Deum (qui, eum in finem, vt a reliquis Diis discerneretur, *Iehouae* nomen sibi ipsi dederat, Exod. III.) Deum esse *supremum*. Hanc ob causam diuinam suam exseruit in omnibus fere rerum naturalium generibus, elementis imperando, corpora Aegyptiorum morbis

bis vexando, tonitrua fulminaque immitendo agris atque pecoribus. Hos autem naturae motus omnes, certo et determinato tempore futuros esse, praedici curauit, ut Aegyptii intelligerent, *Iehouam illum Deum esse*, qui vi sua haec omnia gubernaret huncque Deum fortiorum esse cunctis Diis, quos ipsi colerent, quippe qui haec mala a regionibus suis nec auerruncare, nec immisssis obicem ponere possent. His argumentis, in sensu incumbentibus, animis Israëlitarum et Aegyptiorum persuasum est, *Iehouam esse Deum*, quem nos sent, *fortissimum*. Vim autem ad hanc veritatem comprobandam habebat maximam terribilis ille interitus regis atque exercitus Aegyptiorum in fluëtibus. Haec illustrissima erat *victoria de omnibus Aegyptiorum Diis*, sicuti de rege et ipsius exercitu a Iehoua relata. Hac ratione Moses illius rei memoriam carmine celebrauit Exod. XV. "Iehouah bello potens est; Iehouah Pharaonis currus et copias deturbauit in mare. Tu hanc victoram dextra tua fortissima peperisti, oppressi hostem; euertisti tibi infestos."

S 5

Quid



Quid igitur effectum est hoc inimicorum, contra Iehouam dimicantium, interitu? — Hoc in primis, ut omnes gentes circumiacentes intelligerent, maiorem esse Deum, Iehouam, omnibus Diis ceteris. ”Quis tibi Deorum par est, o Ioua! Quis cum sacro isto decore conferendus, o terribilis, laude dignissime, mirifice, qui extensa dextra tua, populum hunc, a te redemtum, pro tua clementia ducis, illis hostibus humo absorptis!” Exod. XV, 11. Hoc illustre factum saepius commemorant vates diuini ad fidem in Iehouam in Israelitarum animis siue gignendam, siue corroborandam; in primis copiosus est in hac re exponenda Dauides multis in carminibus e. c. Psalm. LXVIII. aliis. Deus igitur iam regis quasi speciem induerat, populum suum in exercitus formam redigentis, quo gentes idolatriae deditas ex regionibus Abrahamo promissis deturbaret et extirparet. Huc spectant multa oracula, quibus Deus populo suo spem victoriae fecit certissimam; quod ut paucis tantummodo locis probemus, Mosen audiamus, Israelitarum fiduciam in Iehouam

con-

confirmantem: vidistis, inquit, quae fecerit Deus brachio suo fortissimo Aegyptiis. Haec eadem facturum esse in omnes nationes, quas timetis, credite; nam inter vos versans *Iehoua* Deus vester, *Deus magnus est et teribilis*; debellabit gentes et perdet, nec quisquam vobis resistet, quo minus eum *vincatis*. Deut. VII, 21. &c. coll. 16. &c.

Quae Deus per Mosen Israelitis promiserat, per Iosuam saepius repetit huiusque ipsi, post Mosis obitum, verbis solatii plenis pollicitus est, neminem fore, qui contra illum consistat in acie; omnia in bello ipsi prospere esse cessura, quoniam ipsi *Iehoua*, *Deus suus adfuturus sit in omnibus rebus*. Ios. I, 3. 8. Vniuersae huic rerum faustarum promissioni addidit posthaec Deus *singula* quouis belli tempore *oracula*, quibus populo suo spondebat in gentes *victoram*. Huius generis sunt multa in libris Iosuae, Iudicum et Samuelis. Praedicta est, ut exemplis utar, Hierichuntis destractio; praedicta clades, quibus periire quinque reges Canaanitici

eum

cum magno exercitu, Ios. X. praedicta vi-  
ctoria tribus Iudee in Pherefitas, Iudic. I.  
Baraki in Syros, Iudic. IV. Gideonis in  
Midianitas, Iudic. VI. Quinam igitur erant  
tantarum rerum a *Iehoua* in bello gestarum  
effectus? Qalem inde petendum erat  
argumentum pro summo ipsius numine?  
Quales in gentium animis inde natae sint  
cogitationes, retulit auctor libri Iosuae  
cap. II, 10. 11. Audiuimus, inquit Ra-  
hab, vt vobis ex Aegypto migrantibus  
*Iehoua* rubri maris aquas siccauerit; com-  
perimus, vos Amoraeorum reges fundi-  
tos deleuisse; qua re audita tanto animi  
nostru terrore labefactati sunt, vt nemo  
iam contra vos in bello consistat; vester  
enim *Deus Iehoua*, et *supra in coelo et infra*  
*in terris Deus est*. Eandem cogitandi ra-  
tionem viguisse adhuc inter Israelitas Gi-  
deonis aetate, intelligent omnes caput VI.  
et VII. libri Iudicum lecturi; eandemque  
esse conseruatam imperantibus regibus,  
exempla docent copiosa, quorum vnum  
tantummodo in medium producamus ex  
libri I. Regum c. XX. Regi enim Achabo,  
a Syriae rege Benhadad in vrbe Samaria  
exer-

exercitu magno inclusō, Deus per vatem aliquem dici curauit; videsne tantam istam tamque ingentem hostium multitudinem? scito me eam tibi hodie in manum traditurum esse, *vt intelligas, me esse Iehouam.*

Huius argumenti, ad religionis a Iehoua reuelatae veritatem comprobandam, suppeditati vim et efficaciam *vt distinctius perspiciamus*, in memoriam reuocanda est Syrorum, bellum contra Israelitas gerentium, falsa opinio, Deum Israelitarum, tantummodo montium, non aequem vallium esse Deum. Hunc errorem, *vt refutaret Iehoua, praedici curauit*, Syrorum cladem his verbis: quoniam Syri dixerunt, Iehouam *montium*, non *vallium* esse Deum, propterea concedam Israelitis *victoriā* in omnem tam ingentem Syrorum multitudinem, *vt sciant, me esse Iehouam, id est, verum et supremum Deum.* Hanc suam supremam vim Deus comprobauit septem dies post latum hoc vaticinum, caefis centum Syrorum millibus. Ad hoc numen suum demonstrandum nonnunquam subita-neos et incredibiles a vatibus praenunciari iussit

iussit euentus , quibus se Israelitas , a deo-  
rum cultoribus suppressos , liberaturum  
promisit. Huiuscemodi exemplum exstat  
in loco II. Reg. cap. VII. , aliud idque  
illusterrimum II. Reg. cap. XVIII. litteris  
relatum est. Contenderat Assyrorum rex,  
Senacherib , Iudeorum Deum non esse  
maiore vi *praeditum* , quam Syrorum Deos  
aliarumque gentium. Publice enim per  
praeconem Hierosolymorum incolis dici  
iuss erat haec : nolite Ezechiam audire ,  
qui vos spe defensionis , a *Iehoua* speran-  
dae , fallit. Num reliquarum gentium Dei  
suam quisque terram contra Assyriae re-  
gem defenderunt ? Quis tandem est ex  
omnium terrarum Diis , qui suam terram  
a mea manu defenderit ? Numne *Iehouam*  
Hierosolymos defensurum creditis ? (Cap.  
XVIII, 32. &c.) Hoc sermone audit o ,  
Hiskias precibus adiit Deum , usus his  
verbis : vide , *Iehoua* , et audi verba Se-  
nacheribi , quibus te Deum immortalem  
conuictiatus est ; defende nos ab illius  
potestate , ut intelligent omnia terrarum  
regna , te , *Iehouam* , solum esse Deum , 2.  
Reg. XIX, 16 et 19. His precibus , a *Ie-*  
*houa*

houa exauditis , quid effectum sit , adeo est facile intellectu , vt prolixiori oratione non opus fit.

Cum igitur Israelitis , diurna rerum experientia edoctis , certissime esset persuasum , Iehouam , Deum suum , vi esse praeditum summa atque insuperabili ; firmiter credendum esse existimabant , a nullo Deorum alio , praeter quam ab uno Iehoua , in bello auxilium esse petendum . ” Tu es , o Iehoua , qui victoram largiris regibus ” Ps. CXLIV , 10. ” Paratur quidem ad pugnae diem equitatus , sed Iehouae est victoria . ” Prou. XXI , 31. Huius in Deum fiduciae vestigia deprehendimus adhuc vltimis reipublicae Iudeorum temporibus . Iudith IX , 13. Cap. XI , 4. I. Macab. III , 18. 19. Communis enim erat vniuersae gentis Iudaicae persuasio , regem , Messiam , a Deo promissum , nationes , idolorum cultui deditas , bello superatum atque imperio in toto orbe terrarum vniuersali potiturum esse ; qua in animi persuasione multis confirmabantur vaticiniis , in primis autem illo Danielis : reg-

num

num et potestas suprema tradet Deus sanctorum populo, cuius regnum erit aeternum, cui obedient omnes potentes, Dan. VII, 27. Ex his, breuiter expositis, colligitur, per omnia inde a Mose vsque ad Christum natum defluxa secula, fidei in Iehouam et victoriae in hostes nexus fuisse arctissimum; atque ex hac ipsa cogitandi ratione multa alia fluebant, singularia plane et genti Israeliticae propria, a nostra cogitandi ratione remota.

1. Quam diu Iehouae cultum inter se feruabant Israelitae intemeratum, illorum mentes spe lactabantur certissima, fore, ut omnes in bello vincant hostes; ceteris populis nobisque ipsis, vera religione imbutis, deumque iusto modo colentibus, haec sperare non licet. Nostrae enim in Deum pietati praemia constituta sunt longe praestantiora; spiritualia, aeterna.

2. Haec Israelitarum fiducia in Iehoua, omnium deorum fortissimo, posita, efficiebat et hoc, ut *foederis arcum*, signum praesentiae diu. et in castra et ipsam in aciem fer-


ferrent, quod firmiter crederent, se huius Dei praesentis auxilio vel copiosissimos hostium exercitus victuros.

3. Inde erat etiam, quod Israelitae, cladem insignem quamuis, ab hostibus sibi infictam, siue *idololatriæ*, siue aliorum delictorum atrocium poenam esse, existimarent. Atque hanc opinionem non arbitrariam mere et falsam plane, sed ex ipsis diuinis oraculis natam et maximam partem veram fuisse, intelliget quiuis, loca historiae Israeliticae consideraturus sequentia hisque similia. Iudic. II. Cap. X, 6—16.  
2 Reg. XVII. Cap. XXI.

4. Inde efficiebatur et hoc, ut Israelitae, aduersam in bello fortunam experti, hac ipsa calamitate admonerentur ad verum restituendum Iehouae cultum. Victoria ipsis denegata erat incitamentum pietatis atque virtutis. Quo minus autem eiusmodi cogitandi rationem mere superstitionem censemus, prohibent Dei ipsius oracula. Iosuae c. VII, 12. &c. Iudic. c. II. c. III, 15, &c. c. VI, 1, aliaque plurima.

## T

## 5. Inde



5. Inde nata est inter Israelitas alia etiam animorum persuasio, haec videlicet, viros fortes et magnanimos, qui populi sui, gentibus subiecti, curam sponte suscipierent, illumque ex seruitute liberarent, esse viros a *Dei spiritu* actos atque afflatu diuino compulso. Neque haec sententia a veritate penitus abhorrebat, quamuis facile concedamus, illam falsis quibusdam opinionibus subinde mixtam fuisse. Iudic. III, 10. 13. cap. VI.

6. Quia in hostes victoria vim habebat argumenti, ad comprobandum religiosi reu. veritatem; ideo deus interdixit Israelitis, vt ne a gentibus idolatriae deditis, opem peterent, neue auxilii obtinendi caussa, foedera cum illis inirent. Hanc ob caussam omnia infeliciter cedebant Israelitis, quoties siue in Aegyptiorum equitatu, siue in Syrorum opibus bellicis spem suam atque fiduciam ponebant. Ab vno Iehoua salutem suam debebant petere et exspectare, vt manerent persuasi, illum vnicum esse deum. „Alii currus,

currus, alii equos, at nos *Iehouae, dei nostri nomen* memoramus; illi subiecti cadent, nos erecti consistemus.,, Pf. XX, 8. 9. Hac in fide, vt deus Israelitarum animos confirmaret, fecit nonnunquam, vt exiguo militantium numero magnum hostium exercitum profligarent. Cum (vt exemplo rem confirmem) olim Israelitae bello peterentur a Midianitis, quorum castra plus, quam centum millia virorum continebant; Gideon dei iussu ex triginta millibus Israelitarum ad bellum paratorum, viginti nouem millia et septingentos dimisit, ita vt cum *trecentis* a se reseruatis ingentem hostium exercitum, flammis et celestismate consternatum, funditus perderet. Haec omnia autem sic erant adorata eum in finem, vt oppido constaret, *deum, Iehouam, hostes deleuisse*, non fortitudinem Israelitarum Iud. VII, 2. coll. cap. VI, 13—16.

7. Cum autem nonnunquam accideret, vt Israelitae eiusmodi temporibus, quibus *Iehouae cultum legibus Mosaicis consenserunt*

T 2

taneum



taneum apud se conseruauerant, ab hostium exercitu superarentur, indigne hoc ferebant et querelis multis litem quasi Deo denunciabant. Cur nos deseris, o Iehoua! cur nos hostibus tradis? Nec tamen tui oblii sumus; non te mentibus nostris abnegauimus. — Si oblii essemus Dei nostri; si manus nostras ad alienos Deos expandissemus; vtique Deus haec puniret. — Sed propter te quotidie occidimur &c. Ps. XLIV, 18 — 27.

8. Ex his hucusque disputatis intelligitur denique, qui fieri potuerit, ut prophetae tantum valerent in rebus pacem et bellum spectantibus. Longe enim a vero aberrare censeo, qui existiment, Israëlitarum vates viros fuisse rerum politicorum notitia egregie instructos, regnorum et status quasi ministros. Eorum enim plurimi sive in prophetarum scholis, sive pietatis exercitiis vitam consumsisse videntur, ab aulae strepitu et rebus ciuilibus longe remotam. Omnis prophetarum auctoritas in rebus bellicis nitebatur in hoc, quod

quod Israelitae firma animi persuasione crederent, a Deo suo pendere victoriam, deumque per vates genti suae notum facere belli exitum; quod cum saepius vera ita euenisset, noua inde cepit incrementa Israelitarum fides in Iehouam, genti suac opem in bello ferentem. Oacula eiusmodi, incertam et occultam belli fortunam declarantia, eo magis erant Israelitis necessaria, quod tum omnium fere gentium communis erat mos, dirigendi auguriis deorumque oraculis belli et pacis consilia. Ne igitur Israelitae, sponte sua ad superstitionem proclives, ad gentilium vates et haruspicia abriperentur, Deus, quid futurum esset, si bello peterent hostes, per prophetas saepius reuelauit atque his ipsis oraculis non solum Israelitarum animos sibi deuinxit arctius, sed et sensus illis inspirauit egregios, atque generosos, ex quibus nascebatur fortitudo, periculorum despicientia, animi robur et bellica illa virtus, quae in Davide, in Maccabaeis aliisque Israelitarum heroibus est conspicua.

T 3

In



In hoc argumento, pro religionis reu.  
veritate exhibendo, Deum se Iudeorum  
ingenio accommodasse, hucusque demon-  
strauimus; iam vero videamus, quam ne-  
cessaria atque salubris in vniuersum fuerit  
haec diuina συγκαταβασις ad humanam co-  
gitandi rationem, iis temporibus et gen-  
tibus fere omnibus communem. Viguit  
enim tum inter omnes haec animorum  
persuasio: populi cuiusque, plures gentes  
bello superantis, deum, fortiorum esse re-  
liquis diis, illum autem, qui omnes vin-  
cere queat, fortissimum et omnium supre-  
num. Hac summa potestate exornatus  
est Homeri Zeus, rector omnipotens,  
deorum et vniuersi imperator. Neminem  
Deorum dearumque contra istius vim at-  
que numen aliquid effecturum, saepe glo-  
riatur \*). Eandem potentiam tribuerunt  
gentes

\*) Sic fatur Deorum pater in concilio Dearum  
Deorumque:

"Οὐ δ' ἀν ἐγών ἀπάνευθε θεῶν ἐθέλοντα  
τα νοῆσω

"Ελθόντ', ή Τρώεσσιν ἀρηγέμεν, ή Δα-  
ναῖσσι,

gentes reliquæ diis suis supremis. Assyrios quidem hanc aluisse opinionem, ex  
T 4 loco

Πληγεὶς ἐκατά κόσμον ἐλεύσεται Οὐλυμπόνδε.

"Η μιν ἐλών ρίψω ἐσ Τάρταρον ἡρόεντα,  
Τῆλε μάλ', ἵχι βάθισον ὑπὸ χθονός ἐσι  
βέρεθρον,

"Ενθα σιθήσειά τε πύλαι καὶ χάλιεος  
ζόδες,

Τόσσον ἐνερθ' αἰθεω, ὅσον ἔρωνός ἐσι  
ἀπὸ γαίης.

Γνώσετ' ἔειθ', ὅσον ἐιμὶ θεῶν κάρτισος  
ἀπάντων.

Quemcunque vero ego seorsum deorum  
vltroneum intellexero

Profectum, vt vel Troianis auxilium ferat,  
vel Danais;

Sauciatus indecora redibit in Olympum:

Aut ipsum correptum proiciam in Tartarum tenebrosum,

Procul valde, vbi profundissimum sub terra  
est barathrum,

Vbi ferreaeque portae et aereum limen,  
Tantum infra Orcum, quantum coelum  
distat a terra:

Cognoverit deinde, quanto sim deorum potentissimus omnium.

Il. Hom. Lib. VIII, 10 — 17.

Οὐτω

loco 2 Reg. XVIII. supra in medium producto, intelligitur; Babylonios autem in  
eadem

Οὔτω περὶ Δίου μέλλει ὑπερμένει φίλον  
ἔιναι,

Οσ δῆ πολλάνων πολίων κατέλυσε νάργην,  
Ἡδ' ἔτι καὶ λύσει.

Ita scilicet Ioui erit praepotenti placitum,  
Qui iam multarum yrbiūm demolitus est  
vertices,

Atque adhuc demolietur.

Il. Homer. Lib. IX, 23—25.

Θεὸς δὲ τὸ μὲν δώσει, τὸ δὲ εἰσει,

Ο, ττι μεν ᾧ θυμῷ εὐθέλει, δύναται  
γὰρ ἀπαντα.

Deus autem hoc quidem dabit, illud vero  
finet,

Quodcumque suo animo voluerit; potest  
enim omnia.

Il. Homer. Lib. XIV, 444.


Vide etiam, quae erudite et ingeniose  
scripsit, de Ioue Homeri celeberrimus Har-  
lesius noster in opusculis variis argumenti  
pag. 400.

Idem probant etiam euocationes Deo-  
rum Dearumque apud Graecos et Roma-  
nos visitatae. Credebat videlicet, Deos  
Deasque custodes esse yrbiūm oppugnar-  
darum;

eadem fuisse sententia, cum ex vniuersa  
historia, tum ex Iesaiæ oraculis satis su-  
perque constat. *Baalis* enim numen tan-  
quam supremum non solum in vniuerso  
Babyloniorum regno, sed et in affinibus  
regionibus complures colere solebant gen-  
tes. Erat igitur inter Iehouae prophetas  
et Baalis cultores perpetua controuersia,  
cuinam Deo locus primus assignandus sit?  
Ad hanc litem decidendam Elias olim  
Baalis sacerdotes prouocauit et sacrificio  
suo, per fulmen, ex coelis a Iehoua mis-  
sum, incenso, solenni victoria superauit.  
Nihilominus Israelitae in regno Samariae,  
pariter atque Iudaei Hierosolymis auxili  
adipiscendi falsa spe lactati, Baalis numen  
posthaec iterum iterumque reuereri coe-  
perunt, vsque dum vniuersus populus,  
in exilio meliora edoctus, supremam Ie-  
houae potestatem agnosceret. Qua igitur

T 5 ratio-

darum; quare eorum numinibus sponde-  
bant cultum similem, qualem urbium in-  
colae illis praestabant. Macrobi. Saturn.  
III, 9. Huc pertinent etiam sacrificia Bi-  
leam iehouae oblata Num. XXIII. XXIV.



ratione, quibus mediis hoc effectum est? — *Victoria* Cyri regis Persarum, a Deo Iehoua ad Babyloniam capiendam ex oriente missi.

Huius regis in Chaldaeos victoriam, ad probandam Dei supremi maiestatem constitutam fuisse, intelligent omnes, qui assidua prophetarum lectione, prouidentiae diuinae vestigia, in rebus a Cyro gestis obuia, obseruauerint. Non ex improviso enim, ceu Deus aliquis ex machina, produxit rex ille Persarum ex oriente, ad euenturam idolatriae et superstitionis sedem primariam, urbem scilicet Babyloniae, sed diu ante quam existeret, a deo ad hoc opus perficiendum designatus, formatus deinde et missus est. Haec qui animaduerterit, cauñas perspiciet, ob quas Cyrus a Iesaiā et Ieremia dei seruus, dei dux, ad res Iehouae gerendas electus facilius appelletur. Ief. XLI — XLIII. Bellum enim, Cyro duce aduersus Babylonios gestum, erat considerandum tanquam Iehouae, veri Dei bellum aduersus Deos

ficti-

fictitios, ad comprobandum veritatem, illum unicum esse Deum. Quod, ut, in aprico positum, clarus patescat, perlustremus oracula quaedam Iesiae, ad hoc argumentum spectantia. De Cyro, aduersus Babylonios misso, Deus ipse fatur hac ratione: "excitatus a me ab aquilone, et ortu solis veniet, qui, meum inuocans nomen, hostes tanquam lutum conculcet. Ies. XLI, 25. Cur autem veniet hic heros ab oriente? — „Vestra caussa (o Israelitae!) illum mittam aduersus Babyloniam, demolitum claustra omnia. Ego Iehoua (efficiam hoc) vester Augustus, Israelis creator, rex vester. — Vos mihi testes estis. — Ego, ego sum Iehoua, quo excepto nullus est seruator. Ies. c. XLIII, 14. 15. et 10. II. Qui Cyrum meum appello pastorem, meam perfecturum voluntatem. Cap. XLIV, 28. Ego Iehoua te, o Cyre, praecedens, ferrea claustra conuellam — *vt scias, me Iehouam esse Israelitarum Deum* — Ego Iehoua, quo excepto nullus est, accinxi te, *vt sciatur ab ortu solis ad occasum, unum me Iehouam esse,*



esse, praeter quem nullus est Deus Cap. XLV, 1 — 6." — Sufficient haec loca (quorum numerum augere difficile non foret) ad confirmandam sententiam a nobis supra explicitam.

Sicuti prophetae Babyloniae destructionem describere solent tanquam victoriam Dei veri de idolis relatam; ita multis aliis in locis reliqui vates Deum supremum celebrant, deorum omnium victorem, unum regem aeternum. "Iehoua *supremus*, terribilis est *rex* magnus in *toto* orbe terrarum, qui nobis ceteras nationes *subiicit*; regnat Deus in gentes! Ps. XLVII, 2. 9. Deus magnus est Iehoua, *rex omnium maximus Deorum*, Ps. XCV, 3. Iehoua est laude dignissimus omniumque Deorum maxime formidabilis. Pudeat omnes simulacra colentes, de deastris gloriantes; veneramini eum (Iehouam) *omnes Dii* Ps. XCVII, 7. Ostendit Iehoua suam viitoriam, coram gentibus suam patetfacit fortitudinem Psalm. XCVIII, 2." Similia occurserunt Ps. CXXXV, 6. &c. aliisque multis in



in locis. Atque haec ipsa est ratio, ob quam clades ab Israelitis gentibus idolatricis infictae semper ad Deum referantur, qui gladio suo hos regni diuini hostes perstrinxerit: "Incensus ira Iehoua in *omnes gentes* (idola colentes) earumque omnes copias Ief. XXXIV, 2. 3. Regnorum solium euertam, perdamque extra-neorum (idola reuerentium) imperia Hagg. II, 2. Iehoua terribilis omnes terrae deos (perdet et) obliterabit, efficietque, vt se ipsum (et vnum) venerentur suo quisque loco, omnes in extremis terrae finibus sitae gentes." Zeph. II, 11.

Quia autem magnum hoc vincendarum gentium opus incipiendum solummodo erat ab Israelitis, continuandum autem et perficiendum a rege Messia, fieri aliter non poterat, quin ille in vatum diu. carminibus herois alicuius illustrissimi, gentium reges superaturi, imaginem gereret et formam: "puniat gentes; conculcabit capita longe lateque vincens omnia Ps. CX, 7. 8. Praedam dispergiet

inter



inter multos eique potentes spoliandos tradam." Ief. LIII, 12.

Ex eiusmodi vatum oraculis, orta sensim est Israelitarum spes regni diuini aliquius latissime patentis, a Deo per Messiam constituendi. Haec de Messia sentiendi ratio non adeo erat superstitionis et inanis, ut viris quibusdam, ingenio ceterum et eruditionis laude non carentibus, videtur. Errorem quidem Israelitae hac in religionis parte commiserunt eum, ut existimarent, Messiam, folio Davidis insidentem ac regi similem, in arce Sionis imperii sedem habiturum atque his in terris mansurum perpetuo; quae sententia falsis oraculorum interpretationibus multis occasionem praebuit. Non autem fallebantur in spe regni diuini perpetui, in omnibus gentibus stabiliendi, quod Ief. IX, 5. 6. Ps. CX. Dan. VII. multis que aliis vaticiniis promissum erat. Nesciebant quidem modum, quo Deus hoc regnum stabiliturus esset, fallebantur, cum crederent, illum armis tantummodo et


mili-

militum lacertis usurum ad idolorum cultores extirpandos; sed in eo non errabant, quod sperarent, fore, ut ciues regni diuini a Messia in urbe Hierosolymorum constituendi, sensim sensimque inter gentes cultas barbarasque numero aucti, vires capiant tantas, ut magistratis supremis potiantur in multis magnisque terrae regionibus. Haec enim spes Dei cultores non fecellit. Quod cum perse clarum sit, non est, ut luculentius exponamus; coronidis autem loco quaestio nem adiiciamus, cum hoc argumento arctissime coniunctam et dignam, quae a nobis paullulum curatius consideretur:

” Victoria regum et populorum, Deum verum venerantium, in gentes idolorum cultui deditas, potestne etiam nostris temporibus accenseri argumentis, quibus religionis reuelatae veritas probari queat, et confirmari? ” —

Huic quaestioni ut satisfiat, primum admonendos esse lectors exstimo, Iesu

Chri-



Christi a seclis promissionem singularis victoriae, de *bac* vel *illa* gente *hoc* vel *illo* constituto tempore referenda, datam non esse; nihil ideo pro religione confirmanda effici, si *singulas* victorias consideres. Cum autem promissio illa victoriae de *omnibus tandem gentibus*, idolatriae superstitiose adhaerentibus, reportandae \*), non Israe-litis solum modo, sed ecclesiae Dei in uniuersum ante et post Christum natum existenti, data sit: implementum illius argumentum veritatis suppeditat, non plane contemniendum ab iis, qui veritatem omnibus subsidiarum generibus velint defendere. Quodsi enim consideremus, quos faciant in omnibus terrae regionibus Christiani in gentibus superandis progressus; si cogitemus, nullam fere esse, quae resistere possit in perpetuum armis populorum, Deum verum colentium (quibus etiam Muhamedani merito adnumerantur): orietur profecto animi quaedam persuasio, fundata in promissionum diuinarum implemento perpetuo, omnibus ante oculos posito.

Si

\*) Vide quae dicta sunt pag. 287.

Si autem quaeritur: num hoc argumentum, a victoriis Christianorum in ceteras gentes, petitum, commouerit aliquos idolorum cultores, ut ad sacra nostra transirent; non defunt exempla illustria, et plura certe exstarent, si rationes, quarum vi et efficacia gentium duces impulsi sint, ut Christo nomen darent, ab historiae antiquae auctoribus maiori cura et diligentia litteris essent mandatae. Cui haec legenti, se vel non sponte offert, siue fabula, siue historia sit, visio illa Constantini M., crucis videlicet forma cum inscriptione: *in hoc vinces!* Appellent historici huius rei narrationem somnum, appellant figmentum; hoc tamen verum manebit, Constantinum spe victoriae ductum, cepisse consilium, in partes Christianorum transeundi. Idem referunt auctores annalium seculi quinti de Chlodouae, Francorum rege (e. c. Hinckmarus in vita Remigii). Liuoni seculo nono pari modo, Deum, quem Christi asseciae, inter illos habitantes, colebant, venerari coeperunt, quia aliquando, in belli peri-

U culo

culo constituti, forte iacta, spem sibi fererant victoriae, per Christum consequendae \*). Quare non dubitamus, quin et nostra adhuc aetate gentes quaedam barbarae et incultae hoc veritatis argumento, a nobis hucusque descripto, animis aliquantum commoueri, et ad euangelium audiendum allici possent, quo, primis faltem fundamentis fidei in earum mentibus hac ratione iactis, deinde doctrina ipsa salutifera superstruи posset. Cookio enim referente \*\*) existunt in Insulis Americanis, meridiem versus sitis, plures nationes, quarum mos est, deo suo, si auxilium in bello non tulerit, dimisso, collere alterum, a quo victoriam exspectant eam ob rationem, quod ipsius cultores alias gentes saepius superauisse animaduerterent. Quid, si viri, quibus gentium ad christia-

\*) *Allgemeine Weltgeschichte nach dem Plan von Wilhelm Guthrie und Johann Gray, 14. Band, zweyte Abtheil. pag. 768.*


\*\*) *Geschichte einer Entdeckungsreise nach dem stillen Ocean, dritter Band, ex versione cel. Wetzel Buch III, K. 9. pag. 52.*

christianorum sacra inuitandarum cura commissa est, illis insularum incolis victorias dei nostri, in vniuerso terrarum orbe de gentibus relatas, fideli recensione describerent; si ipsa vita sua et moribus, si verae in Deum pietatis documentis et virtutum exemplis luculentissimis narrationibus suis fidem conciliarent; nonne sperandum esset, fore, vt plures incendantur rerum christianarum pernoscendarum cupidine?

Deinde in Iudeis, vt spero, conuertendis vim suam non minus exseret hoc argumentum, animis illorum prudenter applicatum. Cum enim ex ipsis oraculis diuinis, cum rebus gestis christianorum comparatis, intelligent, promissiones regi Messiae datas omnes impleri; cum oculis suis videbunt gloriam Christi, in gentium subiectione conspicuam, veris Israëlitis olim a vatibus praedictam, nunc autem Iesu Christi affeclis a deo concessam; cadet profecto tandem aliquando Mosis velamen de facie, vt intueri valeant splen-

U 2

dorem



dorem domini et regis sui Messiae. Hanc animorum et sensuum mutationem etsi hac nostra aetate protenus euenturam, non credimus; tamen speramus futuram, cum aliquando ad finem perductum erit opus Dei admirabile, cum Iesu Christi cultores in vniuerso terrarum orbe regnum ac prouinciarum gubernacula gerent in manibus. Quo enim plures subigunt reges Christiani populos; quo magis extenditur illorum imperium late patens: eo plus accedet huic argumento vis atque roboris; quod maximum erit tunc, cum euentus respondebit spei, a vate his verbis expressae: Nunc potestas et regnum (in terris) traditum est deo nostro et Christo, qui nos suo redemit sanguine! Apoc. XII, 9. 10.

Haec autem diu. promissio sine bello contra gentes idolatriae deditas, non impleri posse videtur. Falluntur itaque viri ceteroquin prudentes, qui regibus populorum Christianorum omnibus nuper publice consilium suppeditarunt, pacis vniuersalis constituendae atque militiae di-  
mitten-

mittendae \*). Quam diu enim gentes sunt barbarae et bellicosae, contra quarum atrocitatem Iesu Christi cultores defendendi, et quae ipsae sceptro diuini regis nostri subiiciendae sunt, tam diu imperatores populorum, siue finibus illarum gentium adiacentium, siue ob mercaturam in regiones terrae extremas peregrinantium, per ipsam generis humani constitutionem et politiae sapientiam coactos se sentient, milites alere, in armis bene exercitatos. Quamdiu autem Europae regna et imperia quaedam militem alunt semper armatum; reliqui reges et principes militia perpetua carere nequeunt eam ob caussam, quod prouinciae et res eorum magno in discrimine versaturaे essent, si in imperiis armatis reges belli et gloriae cupidi ad clavum reipublicae federent. Pacis vniuersalis spes, si unquam, tunc demum impleri poterit, cum omnes terrarum vbiique gentes dominio regis paciferi Iesu Christi se subiecerint. Hoc autem populorum subiectorum graue et arduum opus non

U 3 mili-

\*) In Ephemeridibus: *Ministerialzeitung* ipso hoc Mense Maii editis.

militum gladiis solum et tormentis, sed vel maxime auxiliis, a deo in religione christi. nobis suppeditatis, perficiendum est. Quid enim generi hum. prodeisset, si principes christiani incolas totius orbis terrarum superauerint, nisi doctores euangelii subiectis populis traderent veritatem, qua sola beati et felices reddi poterunt? Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed diuina et potentia ad vanae sapientiae demolitionem comparata, ad cogitationes erroneas deturbandas. 2 Cor. X, 4. His armis legati Domini nostri Iesu Christi olim gentes Deo subiecerunt et in fidei obedientiam redegerunt. Rom. I, 5. iisdem praesidiis ecclesiae ministri, bene instructi atque exercitati, superabunt et in posterrum errores et dubitationes, quibus veritas a suis impugnatur aduersariis.

Scrib. in Academia Friderico Alexandrina ipsis Fer. Pentecostalibus cIccCLXXX.

---


DE

VI.

DE

CHRISTO OMNIVM RERVM  
DOMINO ET GVBERNATORE

AD LOCA N. T. EPHES. I, IO.  
MATTH. XXVI, 64. et EPH.  
IV, 9. IO.



Diem natalem seruatoris nostri et redemtoris diuini his festis diebus celebraturi, animos nostros, Ciues carissimi! componamus ad summam, qua praeditus est, dignitatem considerandam, ut, quidquid homines quidam nostri aeui, siue ignari, siue petulantes, ad diminuendam ipsius gloriam, scriptis et sermonibus de ipso effutiant, nos fide, argumentis solidis confirmata, persistamus, illumque non hominem solum, non doctorem aliquem prudentem, siue sectae philosophicae caput, sed vniuersi generis humani redemptorem et rectorem, *totiusque mundi dominum* omni animi pietate et religionis cultu prosequamur. Haec diu. ipsius maiestas atque gloria sicuti multis scripture f. et per uulgatis locis descripta, ita et in epistola ad Ephesios varie a Paullo delineata atque verbis subinde obscurioribus ingeniose expressa est.

Pri-

Primus quidem eiusmodi locus, quem Vobis ad contemplandum in medium proferre animo constituimus, est in primi capitinis commate decimo, quo apostolus docet, deum patrem, cum tempus a se constitutum aduenisset, hanc fecisse rerum dispensationem, ut sub Christo tanquam capite comprehenderet omnia, quae essent in coelis atque in terra.

Αναφελαιωσας θα τα πάντα εν τω  
χριστώ, τα τε εν τοις ουρανοῖς, καὶ  
τα επὶ της γῆς.

Quae verba etsi clara esse videantur et intellectu facilia, interpretes tamen mirum in modum exercuerunt atque variis explicandi modis excogitandis occasionem praebuerunt, quibus breuiter recensitis, quae interpretandi ratio nobis veritati maxime consentanea esse videatur, dicemus, nostramque sententiam rationibus quibusdam fulciemus. Vniuersae disputationis summa duas habet partes; primum explicanda est verbi αναφελαιωσα-

Θαὶ vera vls et potestas; deinde disqui-  
rendum, quae notio lateat in vocabulis  
τὰ εν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ επὶ τῆς γῆς.

Sunt interpretes non pauci, qui αναι-  
νεφάλαιωσασθαι vertunt *instaurare* seu *re-  
staurare*, ( videlicet genus humanum, pec-  
cato corruptum.) Primus, qui hanc ex-  
plicationem protulisse videtur, quantum  
quidem compertum habemus, fuit *Irenaeus*,  
cuius sententiam ex libro III. contra haer-  
eses repetit *Theodoreetus* in dialogo I. opp.  
Tom. IV. edit. Hal. p. 51. &c. docuitque,  
Christum, Adamo primo peccatori opposi-  
tum, ad mundum, peccato corruptum,  
*instaurandum* natum esse, εδει (inquiens)  
τὸν αναινεφάλαιουμένον εἰς αὐτὸν υπὸ τῷ Θεῷ  
πεπλασμένον ανθρώπον, τὴν αυτὴν εκείνῳ τῆς  
γεννησεως εχειν ομοιωτητα. Quemadmodum,  
sic pergit p. 53. per unius hominis ex rudi  
terra facti inobedientiam peccatores multi  
constituti sunt vitamque amiserunt; ita  
etiam conueniebat, vt per unius hominis  
obedientiam multi iustitiam consequerentur.  
Haec fecit filius Dei carnem humanam in se  
fusci-

fuscipliens, quam in se instaurauit; (ἢν εἰς  
αὐτὸν ανακεφαλαιωσάτο τὸ ἰδιον πλασμα  
σωζών) ut figmento suo (humano generi  
a se creato) salutem afferret. Irenaei ve-  
stigia pressit deinde Theodoretus ipse in  
explicanda epistola ad Ephesios (opp.  
Tom. III. p. 404. &c.) Quamobrem ανα-  
κεφαλαιωσην declarat esse subitam rerum  
mutationem (συντομον τῶν πραγμάτων μετα-  
βολὴν,) mutationem scilicet eam, qua na-  
tura hominum morti subiecta incorruptionem  
induet in resurrectione mortuorum a Christo  
penitus restituenda.

Ex recentioribus interpretibus, huic  
sententiae adstipulantibus, satis erit no-  
tasse Zegerum, Clarium et Vatablum. Ita  
Clarius in notis ad hanc Paulli locum,  
per filii Dei incarnationem, inquit, resur-  
git natura hominum et incorruptionem in-  
duit. Pari modo et ceteri explicant: resti-  
tuere omnia per Christum. Sed multas ha-  
bet haec interpretandi ratio atque mag-  
nas difficultates, ex quibus, qui eam se-  
quuntur, se expedire vix queunt. Expli-  
caturi



caturi enim verba sequentia: *τα εν τοις ουρανοις*, incidere solent in quaestioneum, num et *angeli* per Christum reconciliati sint, quod cum commode dici nequeat, varie respondent. Alii eos per Christum reconciliatos esse dicunt, quia gratia excidere poterant, et si non exciderint; alii contendunt angelos, eam ob rationem dici sub Christo vnitos esse, quod *ex opinione Iudeorum* in factiones quasi et varia studia discissi fuissent, aliis videlicet Iudeis, aliis Persis, aliis Graecis fauentibus (Dan. X, 13. 20). Christum has factiones fustulisse omnesque subiecisse suo imperio. Ad nugas eiusmodi magnus ipse Grotius delapsus est \*).

Prae-

\*) In notis ad. h. l. phrasin explicans: *τα εν τοις ουρανοις* &c. hoc est, inquit, quod Hebreai dicunt familiam Dei superiorem et inferiorem. Angeli olim alii Iudeis, alii Persis, alii Graecis fauebant, ut videre est apud Danielem X, 13. 20. XII, 1. Nunc omnes propter Christum libenter inferuiunt Christianis, ut ad Angelicam dignitatem vocatis,

Praefantiores ideo interpres fere omnes in hoc consentiunt, verbum *αναγνωρισθαι* indicare *colligere varia sub uno capite*. Chrysostomus quidem vocabulum narrat esse Rhetorum, contrahentium in compendium, quae prolixius dicta essent \*); sed adiecit statim explicationem hanc: *Deus Christum posuit caput omnibus* (Homil. I. in Cap. I. ad Ephes. Tom. XI. opp. Ed. Montfaucon. p. 8.) Quamobrem *αναγνωρισθαι* vertit etiam uno vocabulo *συναψαι*. (ib.) Chrysostomum sequetus est Oecumenius. Alii obseruarunt *αναγνωρισθαι* adhiberi a narrantibus histo-

catis, Hebr. I, 14. Exempla vide Matth. XVIII, 10. Actor. V, 19. XII, 7. XVI, 26. XXVII, 23. Iudei alienigenas oderant ut idololatras. Gentibus inuisi Iudei ob institutorum diuersitatem. Qua de re diximus libro secundo de Iure Belli et Pacis XV, 9. Nunc qui ex vtroque genere ad Christum veniunt, amici, imo fratres inter se, vnum simul Dei populus.

\*) Hanc ob rationem Hesychius vertit *επαγνωρισθαι*.



historias, siue ab illis, qui, rebus pluribus expositis, finem sermonis facturi uno verborum ambitu cuncta colligunt. Indicauit S. V. Koppius locum eiusmodi maxime evidentem ex Polybii Histor. V, 32. Iam pridem Cameron non quidem hunc locum, rem tamen protulit. Vsurpatur autem hoc verbum non modo ad indicandam multorum argumentorum copiam, sed etiam *veritatum* et *legum* sub *vna lege* collectionem, qua ratione Paulus ipse usus est ad Romanos XIII, 9. Denique innuit rerum et *personarum plurium unionem* sub communi capite et rectore. Exemplum huius loquendi usus extat apud Xenophontem in Cyropaediae lib. XIII. (p. 160.) Dominus nimurum villaec alicuius procuratori seu oeconomo committens *rerum suarum curam*, dicitur sub illo συνεφαλαιν τας οικονομιας πρεξεις. Atque haec significatio optime conuenit Paullini sermonis contextui et optimorum interpretum auctoritate rationibusque validis, ex ipsa linguae s. indole petitis, confirmatur. In ipsa enim scriptura sacra V.

et

et N. Foederis Κεφαλην saepius *dominum* et *rectorem* siue *gentis*, siue *familiae alicuius* significare, inter omnes constat. Hoc sensu occurrit in Psalmo XVIII, 44. quo Dauides gratias agit Deo, *caput* se populum constituenti. Ies. VII, 8. Rezin et Pekam *capita* gentium suarum appellat vates. Eodem modo usus est hoc verbo Habacuc cap. IV, 14. Christus denique ipse a Paullo i Cor. XI, 3. *κεφαλη παντος ανδρος* salutatur; sicuti maritus *κεφαλη* vxoris. In his omnibus subiacet vocabulo *κεφαλη notio regiminis*, vt idem sit ac Oberhaupt \*). Ad hunc verbi significatum respi-

\*) Quare miror, quid sit, quod cel. Michaelis in notis paraphrasi huius loci subiectis adeo dubitanter hoc de argumento scripsit: *Aus Liebe zur Wahrheit, und in der Absicht, andere aufzumuntern, daß sie das mangelnde ersetzen, gestehe ich, daß ich diese Redensart blos aus der Abflammung und dem Zusammenhang erkläre, ohne eine völlig gleiche Stelle, da sie in der Bedeutung, einem gemeinschaftlichen Hause unterworfen vorkäme, gefunden zu haben.*



respicere mihi videtur Paullus in loco nostro atque docere, Deum patrem Christo, *supremo capiti, subiecisse omnia.* Hanc veritatem Apostolus com. 20. et 21. h.c. prolixius exponens, Christum descripsit ad Dei dextram sedentem, imperantem omnibus.

Hoc si, vt mihi videtur, certum est, vocabula sequentia *τα εν τοις ουγαροις και τα επι της γης* faciliorem habent explicandi modum, si loquendi usui apud Iudeos consueto tenaciter inhaerreamus. Sed quid interpretes de his vocabulis sentiant primum exponamus.

Longissime mihi quidem videntur recedere a vero verborum Paullinorum sensu,  
qui

In Additamentis autem ad Introdu<sup>c</sup>t. in N. F. p. 18. nuper editis haec habet: *Ephes. I, 10.* kommt *αγανθαλαιωσαι*, das man verschieden auslegt, in einer Bedeutung vor, zu der man noch kein Exempel hat, sondern blos räth: denn was Raphel, Koppe und andere haben, ist eine andere lieher nicht gehörige Bedeutung.



qui vocabulis τα εν τοις ορεσ &c. Christi  
asseclas ex Iudeis et gentibus collectos,  
sub τα επι της γης autem Iudeos sub-  
esse contendunt. Inter quos Schoettge-  
nius princeps fere et antesignanus fuit.  
Est enim ipsius opinio haec: Paullum do-  
cere hoc in loco, per Christum, generis  
humani caput vnicum, vnitos quidem esse  
*Iudeos* cum gentibus reliquis; cum autem  
Iudei euangelio Christi pertinaciter re-  
sisterent, his ex ecclesiae gremio remo-  
tis, gentes idolatriae antea deditas, in  
Christi regnum esse receptas. Atque hanc  
ecclesiam, e gentibus in primis collectam,  
appellari coelum, Christique asseclas esse  
eos, qui sunt in coelis, e diametro quasi  
oppositos Iudeis et ceteris *in terra vi-*  
*uentibus hominibus*, qui nominentur τα  
επι της γης.

Contorta haec et difficilis interpretandi  
ratio tam parum in se habet, quo se  
commendet lectoribus, ex usu loquendi  
in interpretanda scriptura sacra omnia  
metientibus, ut vix operaे pretium sit,

\* \* \*

eam commemorasse. Nec tamen illi defuerunt defensores.

Plures adhuc nactus est affectus celebris Lokius, eos, qui in *coelis* sint, *Iudeos*, qui autem in *terra*, gentiles esse, contendens. Argumentum huius sententiae principale hausit vir ingeniosus ex Danielis vaticiniis, cap. VIII, 10. Hoc enim autumauit loco, Iudaeorum gentem *coelum* appellari; quam ob rem sub viribus coelestibus Luc. XXI, 26. eandem gentem intelligendam esse, statuit. Hanc interpretandi rationem secutus est magnus olim Ernesti et S. V. Tellerus, aliis argumentis tamen adhibitis \*). Cum autem S. V. Koppe hunc huius loci explicandi modum solide refutauerit illumque cogitandi atque loquendi consuetudini inter Iudeos et Christianos visitatae contrarium esse demonstrauerit \*\*); non est, ut diutius huic argumento inhaeremus.

### Tertia

\*) In Lexico ad N. T. sub voce *Himmel*  
p. 245.

\*\*) In notis ad N. T. h. l.

Tertia classis interpretum est eorum, qui sub vocabulis *τα εν τοις ουρανοις αγελος bonos et animas beatas in coelis contineri statuunt; inter quos diu. Chrysostomus primum locum obtinet: μιαν (inquietus) ιεφαλην απασιν επεδημε τον κατα συρια χριστον, και αγγελοις και ανθρωποις.* Homil. I. in epistol. ad Ephes. p. 9. Ed. Montfauc. Adstipulantur Chrysostomo, quod ad summam argumenti pertinet, Theophylactus, Grotius, Calvinus, Castalio &c.

Sunt loco quarto collocandi interpretes, qui sentiunt, in explicandis verbis *τα εν τοις ουρανοις*, angelis relictis, hominum tantum animas, coelum inhabitantes, esse retinendas: Christum enim a Paullo his nominibus salutari dominum et gubernatorem *omnium hominum et coelum et terram incolentium.* Ad hoc interpretum genus referendi etiam sunt omnes, qui verbum *ανεφελαιωσαται* vertunt *reconciliare.* Cum enim homines tantum Christi ope a peccati poenis liberati sunt, prono inde alueo fluit hoc, de angelis hoc loco



sermonem non esse. Ad angelos, inquit  
 Beza, (in notis vers. N. T. h. l. subiectis)  
 beatos non est missus dei filius, ac pro-  
 inde multo minus ad Daemones ista per-  
 tinent; sed ad ecclesiae corpus, Christi demum  
 exhibitione coadunatum. In hac quidem huius  
 loci interpretandi via incedit etiam S. V.  
 Koppe; sed, vt pro ingenio suo solet,  
 tramitem sibi elegit peculiarem. Statuit  
 videlicet, שמי והארץ esse paraphrasin uni-  
 uersi; "qua quidem (sunt ipsa verba in-  
 terpretis egregii) cum vtantur Apostoli,  
 non statim etiam de singulorum verborum  
 syllabarumque (v. c. coeli et terrae) sensu  
 sigillatim distincte cogitauisse, sed formu-  
 lam vniuersam mundi ad partem quandam  
 eius, eamque pro variorum locorum con-  
 textu variam, designandam adhibuisse sint  
 existimandi cf. ad Matth. VI, 10. itemque  
 Matth. XXVIII, 18. coll. Marc. XVI, 15.  
 vbi, quod altero loco est ορανος ναι γη  
 hebraice, idem in altero, magis graece  
 per κοσμον expressum videtur. Similis ratio  
 est in Graecorum κοσμῳ et nostro Welt  
 velut: cum Deus αγαπησαι τον κοσμον di-  
 catur, nec tamen angelos aut animantia  
     cete-

vetera, sed tantum homines significari nemo dubitet. Similiter igitur h. l. omnes omnino homines, et quidem, quod contextus necessario postulat, sine discrimine gentis, Iudei et barbari videntur intelligendi &c. Qui sub vocabulis *coelum* et *terra* in locis scripturae s. quam plurimis *uniuersum mundum* indicari neget, censemus esse fere neminem. Hanc ob caussam haec phrasis vti synonymum *κοσμος* eundem omnino sensum exhibit, ac in nostra vernacula *Welt.*"

Quamuis haec ingeniose excoxitata veri speciem habeant, valde tamen veremur, vt argumentis, ex vsu loquendi haustris, satis confirmari possit, vocabula *τα εν τοις ευφανοις οντα τα επι της γης* vt *humanum genus* indicandum ab auctoribus N. T. vlo in loco adhiberi. Contendit quidem S. V. Koppe, haec verba ex *Iudeorum* loquendi consuetudine esse interpretanda; at enim hominum animas, a corporibus separatas, habitare in coeli regionibus, Iudei illius aeui non credebant, quippe qui in loca inferna, siue in Paradisum, siue in



Tartarum eas demitti statuerent. Ne autem sub vocabulis *τα εν τοις ουρανοις* homines quosdam in terra viuentes innui, concedamus, prohibent etiam verba comm. 21. h. c. sequentia. Nam hunc locum periphrasin continere et vteriorem explicationem commatis 10. ipse docet loci intuitus et confirmat huic similis ad Colossenses I, 16. In utroque enim loco voces *τα εν τοις ουρανοις* res siue personas coelestes, non terrestres indicari, adeo in aprico positum est, ut probatione vteriori non egeat. Vocabuli *κοσμου* longe alia indoles est et ratio. Hoc enim multiplicem habet significatum varieque adhibetur ad describendum siue hoc vniuersum, siue totum genus humanum, siue etiam cateruanum impiorum veritati mala voluntate resistentium, ex Christi regno, his in terris exclusorum. Verba autem *τα εν τοις ουρανοις και τα επι της γης* si ex more loquendi iudaico aestimentur, primum tantum habent significatum eumque late patentem siue huius mundi vniuersitatem, siue *spiritus omnes* sub se comprehendentem. Solemne enim est, et in omnibus fere Iudeo-

daeorum libris vsu receptum, totius mundi vniuersitatem duobus his describere vocabulis *coelum* et *terra*. Hanc loquendi consuetudinem retinuerunt auctores sacri fere omnes. In omnium rerum initiis creauit Deus *coelum* et *terram* Genes. I, 1. Hanc ob rem Deus *dominus* est *coeli* et *terrae* Act. XVII, 24. Matth. XI, 25. 1 Cor. VIII, 6. Ideoque *coelum* est thronus ipsius, terra scabellum Ies. LXVI, 1. Quid obstet, ne ex hoc loquendi vsu nostrum etiam interpretemur locum, non intelligimus.

Valde confirmatur animus noster in hac sententia perpetuo fere more Paulli, sub initium epistolarum suarum celebrantis Christum *omnium rerum dominum*. Consuetudinis huius Paullinae exemplum habemus in epistolae ad Hebreos principio, quo Christum praedicat omnium rerum heredem seu *dominum*, cui in Dei throno sedenti angeli etiam subiecti sint, cuius vi omnia sint creata rerum genera in *coelo* atque *in terra*, Ebr. I, 3. 6. 10. Similioratione gloriam Christi domini huius vni-



uerſi celebrauit Paullus in epiftola ad Coloffenses cap. I, 17. αυτοſ ει προ παντων  
και τα παντα εν αυτω συνειηκε. Hunc locum nostro maxime esse conformem,  
omnes ſciunt, qui vtramque epiftolam (ad Coloffenses et Ephesios) curatius traſta-  
runt atque compararunt.

Cum parte prima huius diſſertatiunculae argumentis nonnullis probauerimus,  
verbo κυριε φιλατωσ σθαι indicari imperium,  
Christo a patre traditum; ex ipſo huius  
imperii ambitu, aliis N. T. locis deſcripto,  
ratione admodum probabili colligi potest,  
quid in nostro loco ſint omnia ſub Christo  
uno capite collecta. Duas videlicet apo-  
ſtoli facere ſolent partes vniuersi officii  
mediatoris et redemptoris humani generis,  
*passiones* et *gloriam*, cruciatus ſequentem.  
Hoc modo Petrus viſus eſt i Epift. I, 11.  
Vates praedixerunt *passiones* Christi et *glo-*  
*riam*, poſt illas adipiſcendam. Ieſus ipſe,  
talia, inquit, oportuit pati Christum et  
ingredi in ſuam gloriam Luc. XXIV, 26.  
Qualis autem haec gloria fit, poſt haec  
definiuit verbiſ perſpicuiſ: Εδοθη μοι πάσα  
εξου-

*εξουσια εν ουρανων και επι γης Matth. XXVIII,*  
 18 Quae verba vniuersale Christi dominium describentia, nostro loco cum sint simillima, illius interpretationem, a me prolatam, satis superque confirmant. Nam in eo ipso versabatur apostolus, vt vtramque partem officii Iesu Christi fusius explicaret; commate enim 7. de passionibus ipsius, atque de sanguine ad comparandam nobis peccatorum veniam fuso, commate 10. de gloria, mortem illius sequente, sermonem instituit.

Perpetuum hunc Christi et omnium apostolorum morem Paullus seruauit in cunctis epistolis exarandis. Quotus quisque est, cui non in mentem veniant loca N. T. perulgata ad Pilipp. II, 6—10. ad Ebraeos Cap. II, 6—8. i Cor. XV, 19—27. His in locis omnibus Christo pro nobis mortuo et resuscitato vindicatur imperium in omnes res creatas vniuersale, nullo ente excepto, nisi infinito: πάντα (αὐτῷ) υποτείνεται - εκτός (τού) υποταξάντος αὐτῷ τα πάντα.



Hoc dominium adeo late patens et omnem comprehendens rerum creatarum vniuersitatem Paullus in epistola ad Ephesios et Colossenses eam in primis ob rationem Christo vindicauit, quod essent in Asia inter Christi affecclas, qui placitis philosophiae et iudaicae et graecae decepti, filium Dei, cum homine Iesu coniunctum, spiritum tantum aliquem, ex diuinitate prognatum, non omnium rerum dominum esse, autumarent. His eiusmodi errorum doctoribus Paullus opposuisse videtur ea, quae in epistola ad Colossenses capite I, 15. vsque ad Capitis II. com. 19. legimus. Ad hanc doctrinae verae depravationem cohibendam apostolus eadem fere et Ephesis scripsit in primo capite. Hanc ob rem ea, quae commate decimo paucis verbis praeceperat, com. 21—23. pluribus persecutus est, docendo nihil esse, quod nominari possit neque in hoc, neque in futuro mundo et tempore, quod Christo non sit subiectum. Non quidem is sum, qui neget, Paullum hoc sermone de *spiritibus* in primis loqui, vi et potestate praestantibus, vt et de hominibus, hac in

in terra aliis imperantibus. Hoc autem non impedit, quo minus deinceps sermone suo *omnia comprehendat rerum genera* hoc modo: Deum Patrem Christum exaltasse ad dextram suam, *nec ei huius terrae tantum subiecisse incolas, sed et supremos coelites spirituumque excellentissima genera, omnia praeterea, quaecunque verbis et nominibus exprimi possint, omnia in mundo hoc et futuro vnam existentia rerum genera.* Atqui haec interpretatio loci nostri (com. decimi) authentica mihi esse videtur.

Nec obstat his a nobis dictis, quod Christus aliis in locis *ecclesiae caput* a Paullo nominatur. Nam in aprico positum esse censeo, vocabulis *τα εν τοις ουρανοις και τα επι της γης* aliud quid indicari, quam ecclesiam illam, quae Ephes. IV, 16. V, 27 — 30. *corpus Christi* a Paullo dicitur. Ex quo efficitur, Christum nominari caput duplicem ob rationem:

- 1) Quia *dominus est ecclesiae*, quam regit tanquam corpus suum, propterea quod,



quod, qui in ipsum credunt, membra ipsius sunt. Ephes. V, 29. &c.

- 2) Quia dominus est huius uniuersi, quod Iudeorum doctores ex sacro loquendi usu *coelum et terram* appellare solebant. Hoc fit in loco nostro verbo αναπτυλαιωσασθαι. &c.

Licet his hucusque dictis sententia nostra satis superque stabilita esse videatur, robur tamen aliquod argumentis prolatiis addetur accuratiori comparatione locorum epistolarum uno eodemque tempore a Paullo scriptarum, in quibus eadem etiam cogitationum series deprehenditur multis in locis e. c. in describenda Christi passione et gloria:

|                                      |                                                                                                    |                                                                                                    |
|--------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------|
| Ephes. I, 7. Εν ω Colos. I, 14. Εν ω | $\epsilon\chi\omega\mu\epsilon\nu$ την απολυτρωσιν δια του αιματος αυτου, αφεσιν των παραπτωματων. | $\epsilon\chi\omega\mu\epsilon\nu$ την απολυτρωσιν δια του αιματος αυτου, την αφεσιν των αμαρτιων. |
|--------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------|

|                      |                                            |                          |
|----------------------|--------------------------------------------|--------------------------|
| com. 9. 10. γνωρισας | com. 15. 16. ος εινη ημιν το μυσημένον του | εικων του Θεου του αρρα- |
|----------------------|--------------------------------------------|--------------------------|

Φεληματος αυτε - αρχατου, πρωτοτο-  
αναι φαλαιωσασθαι τοκος πασης ιτι-  
τα παντας εν τω σεως.

Χριστω, τα εν τοις com. 17. αυτος εστι  
ουρανοις και τα επι προ παντων, και  
της γης. παντας εν αυτω συ-  
εσηκε.

In utroque loco eandem fere argumenti, huc usque a nobis tractati, summa verbis exprimi, facile intelligent, qui haec pauca considerauerint.


Deum patrem Col. I, 15. inuisibilem dici Deum, ex ipso huius loci intuitu clarum est. Filius deinde patris imago appellatur, non solum ob perfectionum, quibus praeditus est, diuinarum similitudinem, sed et vel in primis ob regimen ipsi a patre traditum. Hanc enim esse praeципuam vocabuli *imaginis* diu. potestatem, variis scripturae scilicet locis comprobatur. Nam eam ipsam ob rem protoplasti dei imagine exornati fuisse dicebantur, quod *dominium* gerebant in cetera animalia omnia. Magistratus autem Israëlitarum *dii* a Moze cognoscuntur.

cognominati sunt (Exod. XXII, 18.) quia gentis suae *capita*, Dei loco, iudicia habebant. Huc etiam pertinent verba, quibus Paullus maritum descripsit i Cor. XI, 7.  
 $\epsilon\eta\omega\nu \kappa\alpha \delta\omega\zeta\alpha \theta\epsilon\omega\nu \upsilon\pi\alpha\chi\omega\nu$ . His efficitur, Christum appellari  $\epsilon\eta\omega\nu\alpha \tau\omega \theta\epsilon\omega\nu \tau\omega$   
 $\alpha\omega\sigma\alpha\tau\omega$  in primis *ob regimen mundi*, quod administrat, tanquam *Deus visibilis*, per quem pater conspicuus fit spiritibus, per quem omnia conseruat atque gubernat.

Eundem sensum exhibent vocabula  $\pi\varphi\omega\tau\omega\kappa\omega\kappa$   $\pi\alpha\sigma\eta\varsigma \kappa\pi\sigma\epsilon\omega\varsigma$ . Primogeniti enim, patre mortuo, erant supra vniuersae familiae *capita* (Gen. XLIX, 3.) Vnde etiam est, quod rex Israelitarum, cui Psalmo LXXXIX. imperium tribuitur vniuersale et aeternum, *primogenitus* dicitur regum com. 28. Erit ergo, ex hac loquendi consuetudine, *primogenitus* *creat*urarum idem ac *imperator omnium rerum*. Atque hoc Christi summum vniuersi mundi imperium *tertia vice* com. 17. exprimitur his vocabulis:  $\alpha\omega\tau\omega \epsilon\varsigma \pi\varphi\omega \pi\alpha\pi\tau\omega\omega$  &c. Nam quae res illae omnes ( $\pi\alpha\pi\tau\omega\alpha$ ) sint, ante quas Christus fuisse dicitur, et quae

quae per ipsum conseruentur atque regantur, ex commate 16. definiendum est; sunt videlicet res omnes visibiles et invisibiles, *omnia in coelis atque in terra*, hoc est in vniuerso mundo.

Haec doctrina de Christo, ecclesiae suae capite, Iudeorum pariter atque gentilium et mundi vniuersi gubernatore, est μυσηγειον illud, seu veritas hominibus ante Christi nativitatem viuentibus incognita; hanc nec vates diuini penitus intellexisse videntur, nec ipsi apostoli, antequam spiritu diu. melius essent edocti, capiebant; quippe quae abscondita esset ab aeterno in imperscrutabili sapientiae diu. abysslo (Eph. I, 9. Col. III, 2. 3. 1 Cor. II, 7. 8.) Quam valde igitur errant, qui sibi aliisque persuadere conantur, apostolos, in argumento, de potestate et maiestate regia domini nostri Iesu Christi explicando, sermonem attemperasse opinionibus iudaicis? Quisnam harum rerum iustus aestimator, re accurate considerata, non intelligit, hanc de Christi imperio vniuersali doctrinam, exspectationi Iudeorum contra-



contrariam, potius fuisse ad eorundem errore de regno Messiae eradicando efficacissimam? Mirabili enim harum veritatum mere euangelicarum vi legati domini nostri I. C. hominum animos, ex terra sursum elatos, cogitationibus sentibusque impletuerunt coelestibus, atque, bona peritura spernere, aeterna sperare et appetere docuerunt. —

Profecto enim non parum erigitur, animus siue laborum et negotiorum cumulo obrutus, siue miseriarum pondere suppressus, ipso aspectu maiestatis, qua doctor humani generis omnium absolutissimus, hac in terra vsque ad infimum decoris gradum deiectus, paullo post autem, receptus in coelum, a patre exornatus est.

Atqui hoc suum in huius mundi universitatem dominium descripsit ipse more propheticō, constitutus ante supremum Iudaeorum tribunal et a principe sacerdotum ad ferendum de se testimonium iure iurando prouocatus. Quaesitus enim, an-

ne,

ne, quem Israelitae exspectarent, Messias sit; respondit hoc modo: est ita, ut tu dicis. Ceterum scitote, futurum esse, ut hō minis filium videatis sedentem ad dexteram potestatis, et in nubibus venientem coelestibus.  
Matth. XXVI, 64.

Haec Christi verba, professionem continentia sollemnem munera, a Deo sibi traditi, cum in se grauia sunt atque digna, quae curatius discutiantur, tum etiam ob imaginum, ex sermonibus propheticis pectorum, obscuritatem, seu potius excellentiam, explicationem desiderant vberiorum.

In eo quidem omnes fere doctores consentiunt, praedictam esse hoc sermone revelationem summae gloriae diuini Seruatoris, mortem suam non multo post insequentem; sed in varias abeunt partes in explicandis verbis, ad Iudeorum processus directis: *videbitis me sedentem ad dextram potentiae et in coeli nubibus venientem.*

Plurimi interpretes euerisionem Hierosolymorum expressam esse his verbis, ce-

Y teri



teri fere omnes Christum locutum esse de aduentu suo secundo, contendunt. Diuersam etiam ferunt responsionem quaerentibus, quando et qua ratione Iudei *viderint* Christum, sedentem ad dextram omnipotentiae \*). Quae cum ita sint, animo constitui-

\* ) Grotius huius loci hanc exhibuit explicacionem: "Quod autem hic Christus dicit, fore, ut Iudei se videant sedentem ad Dei dexteram, referendum arbitror ad diem missio[nis] Spiritus sancti, quod certissimum erat indicium sessionis ad dextram, ut nos docet Petrus Act. II, 33. quamquam si quis adiungat admirabilem profectum Euangeliæ praedicationis, non refragabor. Fauere interpretationi videtur illud *από την υγιεινήν*, quod Lucae est *ἀπὸ τῆς νῦν*, quae rem iamiam futuram videntur notare. Καὶ ἐρχομένου *ἐπὶ τῶν νεφελῶν τῇ ἔργῳ*. Supra diximus, posse hoc etiam de virtute Christi per Euangelium intelligi, iuxta id, quod in Daniele est et alibi: aut etiam de poenis, quas Christus infligi caravit populo Iudaico, quia *descensus in nube* iram ac vindictam solet significare, ut Maimonides annotauit. Attamen cum visibili etiam modo in nube descensurus sit Christus ad iudicium, sicut *in nube* ascendit, nihil prohibet, ad eum aduen-

stituimus, illustrem hunc locum per partes explicare singulas; deinde vero huic Domini nostri sermoni Pauli conferre verba, idem fere argumentum, aliis tantummodo imaginibus expressum, continentia.

Primum quidem in hoc vaticinio interpretando fundamenti loco ponamus hoc, Christi respositionem seu potius vaticinium totum fere ex oraculis Dauidis et Danielis esse translatum et compositum ex locis Psalmi CX, 1. et Daniel. Cap. VII, 13. In cantico quidem Dauidis Messiae gloriam et imperium descriptum esse, Iesu ipse olim in disputatione, cum Iudeis habita, contenderat Matth. XXII, 44.

## V 2 Iudeo

aduentum haec referre; quo cogentur eum agnoscere, qui ex signo missi Spiritus agnoscere eius maiestatem noluerunt." — Pari modo fluctuant etiam interpretes Anglicani: Whitbius, Gillius, aliue, quorum sententias collectas inuenies in versione operis anglic. *Die heilige Schrift des alten und neuen Testaments nebst einer vollständigen Erklärung derselben, aus verschiedenen englischen Schriftstellern. Parte XII. p. 829.*



Iudeorum autem doctores non tantum caput IX., sed et vel maxime cap. VII. Danielis ad Messiam referendum esse, miro consensu statuunt \*). Quare dubium est nullum, quin Dominus noster hoc ex capite verba sollempnia, Messiae regnum describentia, Iudeorum doctoribus nota, eum ipsum in finem excitauerit, ut intellicherent, ipsum esse *Messiam*. Hoc Danielis vaticinium, cum magnam habeat vim ad illustranda Iesu Christi verba, repetamus vniuersum: „spectabam, (inquit vates,) „per nocturna visa aliquem *filio hominis* „similem, qui in nubibus coeli veniebat. Is „ad Deum aeternum appropinquabat, in „cuius conspectum etiam fuit adductus. „Atque huic tanta potestas, dignitas et „regnum dabatur, ut omnes omnium „linguarum gentes et nationes eum cole- „rent:

\*) Ex C. in talm: tractatu Sanhedrin. Targum ad 1 Chron. III, 24. Sohar Genes. Vol. LXXXV, col. 338. In libello Medrasch Vcjoscha referente Eisenmengero *im entdeckten Judenthum* P. II. c. 10. p. 710. Iudei exspectabant Messiam in nube venientem, quomodo hoc Danielis loco descriptum legerunt.

„rent: *Potestas* eius debet esse *aeterna*, nun-  
 „quam peritura et *regnum* eius *nunquam de-*  
 „*struendum.*” — Ex hoc Danielis vati-  
 cino ipsum Messiae nomen, quo se *homini-*  
*nis filium* saepius compellare solebat, de-  
 sumtum esse, vero maxime simile est, et  
 ipsis Iudeorum, hoc nomen de Messia  
*vsurpantium*, traditionibus confirmatur.  
 Sed quaeritur iam, qua ratione interpre-  
 tanda sint singula verba, ex quibus hoc  
 Christi oraculum est compositum?

In prima quidem orationis particula  
 $\pi\lambda\eta\nu$  explicanda, non est ut diutius mo-  
 remur, licet illius potestatem vario modo  
 definiant interpretes; aliis vertentibus:  
*ceterum*; aliis: *praeterea*. Prior quidem ex-  
 plicatio praferenda esse videtur. Est vi-  
 delicet Christus in eo, ut Iudeis, argu-  
 menta pro legatione sua diuina hucusque  
 edita, cuncta reiicientibus, praenunciet,  
 se in posterum alia ratione probaturum in-  
 credibilem vim suam atque diuinam maie-  
 statem: Vos quidem, (haec esse videtur  
 vis verborum, hic nexus,) mihi quis sim  
 publice profitenti fidem non habetis; *ce-*

Y 3 terum

terum (*at enim vero*) tempus instat, quo potestatem meam multis argumentis demonstraturum me intelligetis. Atque ex hoc ipso verborum nexu patescit, quid sit, quod Iesus dixerit *απ' αρτι*, *inde ab hoc tempore* me videbitis. Finitis enim morte sua et exantlatis huius vitae miseriis, post paucos dies Iesus in coelum euectus est. Hanc suam, quam appellare solent theologi exaltationem, descripsit Iesus modo Iudeorum doctoribus consueto: *videbitis me ad dextram potestatis.* Vocabulum *δυνάμις*, hebraice *נָבוֹרָה*, eandem exprimit notionem, ac nostrum: *Allmacht*, siue *der Allmächtige* \*). Sensus itaque est: videbitis me ad dextram Dei omnipotentis sedentem. Hanc horum verborum explicationem Lucas ipse suppeditauit, Christi sermonem capite XXII, 69. hoc modo describens: videbitis me ad dextram potentiae *Dei*. Horum verborum verum sensum, admodum late patentem, tunc penitus intelligere non valebant Iudei, opinionum falsarum caligine circumfusi, atque

\*) Vide Buxtorf. Lexic. talmud. p. 385.

que vana irretiti spe regni alicuius terrestris stabiendi atque gubernandi per Messiam. Persuasum enim sibi habebant, fore, ut Christus sedem suam figat seu thronum erigat in vrbis Hierosol. superiori parte, templo seu throno Dei ad *dextram* sita; (si videlicet oculos versus solem orientem direxeris.) Quam ob rem verba Psalmi CX. *sede ad dextram meam*, censabant explicanda esse hac ratione: Deum promisisse Messiae, ipsum pari modo, atque olim Dauidem, in arce Sionis ad dextram throni diuini, in templo Hierosol. stabiliti, regia maiestate praeditum, imperaturum omnibus gentibus, ad colendum verum Deum sub se, uno capite, collectis.

Iudaei scilicet nesciebant, Messiam in coelum receptum iri; ne Christi quidem Apostoli hoc futurum credebant. Hanc ob illorum infitiam Christus aliquando iisdem praedixit, illos valde *miraturos*, quum viderint, *filium hominis adscenjurum in loca coelestia*, in quibus antea iam fuerat.

Y 4

Ioh.



Ioh. VI, 62. Hanc ob rem Iudaeis ne quidem in mentem vniquam venerat, Christo *totius munli vniuersitatem* \*) a Deo subiiciendam esse; humani enim generis tantum fore imperatorem, his in terris semper viuentem, opinabantur \*\*). Nos autem, doctrina legatorum Iesu Christi melius instituti, scimus, verborum: *sede ad dextram meam*, sensum esse longe latius patentem, vniuersam, quae Christo data est, gloriam atque potestatem, ambitu suo comprehendentem. Primum quidem *externam* maiestatem quandam atque gloriam coelestem, qua fruitur rex et dominus omnium in sedibus beatorum, illum veneratione laudibusque suis colentium  
atque

\*) Hanc potissimum ob caussam sacerdos summus atque reliqui iudices Christum blasphemiae reum esse censuerunt com. 65. Hoc enim sermone suo se parem Deo fecerat, eamque ipsam ob rem antea iam illum lapidare volebant ob blasphemiam, quod, cum homo esset, se ipsum Deum fecerit. Ioh. X, 33. coll. Ioh. V, 19. 20.

\*\*) Ioh. XII, 34.

atque celebrantium. Deinde exprimunt verba illa ipsum *ius et imperium* in omnes res creatas, a Deo patre sibi traditum. Hoc enim disertis verbis Apostoli multis librorum suorum locis docent atque contendunt, Christo, ad dextram Dei exaltato, *omnium rerum genera esse subiecta* Ephes. I, 20. 21. 1 Corinth. XV, 25—27. Ebr. II, 8. 9. Haec de gloria Christi vera doctrina adeo in aprico posita est atque argumentis multis comprobata, ut vltiori probatione non egere videatur; illud autem non adeo clarum est, quod Christus Iudeis dixit, *illos inde ab hoc ipso tempore esse visuros hanc suam supremam potestatem*; ideoque, qua ratione hoc viderint, paullo accuratius a nobis iam est explicandum.

Verbum: *videre*, hoc loco sensu improprio esse positum, vix est ut moneamus; nota enim sunt scripturae s. loca perquam plurima, quibus hebraicum רָא graccis σίδειν idem est ac *intelligere*, *certum reddi, conuinci de aliqua re;* in qui-

V 5 bus



bus locis sunt notabiliora Pf. XXVII, 3.  
XXXIV, 9. XCVII, 6. XCVIII, 3. Ies.  
XL, 5. LII, 10. LXVI, 18. Praedixit  
igitur Christus, fore ut Iudei inde ab  
hoc tempore post mortem suam *intelligant*  
atque argumentis certis *conuincantur*, se  
esse supremum omnium rerum dominum.  
Quomodo igitur hac de re conuicti sint  
Iudei et in posterum conuincantur, iam  
videamus.

i) Primam quidem vitae suae, coelestis  
gloriae atque imperii demonstrationem  
Christus exhibuit die pentecostali missione  
spiritus sancti et collatione donorum mi-  
rabilium, ad instaurandum regnum suum  
legatis suis necessariorum. Per haec spi-  
ritus s. dona se comprobaturum gloriam  
suam, Christus ipse praedixerat Ioh. XVI,  
14. Ille spiritus s. me *glorificabit*; nam  
conuincet ( $\epsilon\lambda\epsilon\gamma\xi\epsilon\iota$ ) homines, me ad pa-  
trem profectum esse. (Ioh. XVI, 10.)  
Huius argumenti efficacia ipsis feriis pen-  
tecostalibus magnum Iudeorum numerum  
de legatione I. C. diuina et gloria ipsius,

con-

conuictum esse, ex actis Apostolorum cap. II. intelligitur. Eadem spiritus s. vi et operibus multis in aliis terrae regionibus Christus vitam suam atque in omnes res imperium pari modo comprobauit per legatos suos, Iudeis dispersis atque gentibus missos. Act. X. XIII. XIV. XVII.

2) Comprobauit Christus Iudeis atque gentibus vim suam atque potestatem ipso auxilio cultoribus suis promisso atque latto, cum ope doctrinae suae, sine armis, sine opulentia, sine auxilio ab hominibus petito, in ipsa, qua necatus fuerat, Hierosolymorum vrbe, regnum suum instauraret, per vniuersum deinde terrarum orbem idolorum cultum destrueret, sacerdotum stratagemata, hominum eruditorum, philosophorum atque sapientum tela in religionem christianam missa, a suis auerteret omnesque veritatis inimicos, armis suis spoliatos, veritatis vi et efficacia vinceret, eosdemque in triumpho duceret. 1 Corinth. I, 19. 20. 27. 28. 2 Cor. X, 4. 5. Haec Christi in hostes victoria argu-




argumentum imperii sui fuit adeo certum et illustre, vt ipsa clade legatorum suorum, ad superandas gentes et Iudeos missorum, potentia sua atque gloria conspiceretur, Paullo testante 2 Cor. V, 10.  
 „Circumferimus semper mortem Domini Iesu in corpore, vt et vita eius in corpore nostro manifestetur. In mortem tradimur propter Iesum, vt vita Iesu manifestetur et comprobetur in nece corporis nostri.“

3) Argumentum *tertium* erat Hierosolymorum destructio a Christo praedicta et eo modo, quo descriperat, perfecta. Hanc populi iudaici calamitatem se ipsum, isti immisurum Christus declarauerat in sermonibus allegoricis, a Luca cap. XX, 18. XIX, 27. memoriae proditis: „hostes meos, inquit, loco vltimo, qui imperium meum recusabant, adducite huc et perfodite.“ — Eandem sententiam expressit olim Dauides Psalm CX, 2. „sceptrum tuum potens (Messiae) extendit Ioua e Sione; dominare hostibus tuis. — Suppli-

„plicum sumet (Christus) de gentibus — „calcabit capita hostium &c.“ — Haec in his vaticiniis praedicta, cum in destructione reipublicae iudaicae acciderent, argumentum exhibebatur validissimum, Iesum Christum verum esse Messiam, atque, ut ipse declarauerat, omnium rerum dominum.

Sed dicat aliquis, multos procerum ac sacerdotum, sententiam iniustam in Christum pronunciantium, diem supremum obiisse, Hierosolymis adhucstantibus; quā ratione igitur his dicere potuerit Christus, *illos se visuros ad dextram Dei sedentem, mundi regimen tenentem, difficile esse intellectu.* Huic dubio accedit et alia difficultas, si consideramus Iudeorum, argumenta ad conuincendos eorum animos prolata respuentium, pertinaciam. Cum enim conuictionem non admitterent, dici etiam non potest, *se vidisse Christum ad dextram Dei sedentem.* Hos scrupulos vt mentibus euellamus, rogamus lectores, vt considerent, Christi sermonem non modo



modo huius vitae breuitatem comprehen-  
dere, sed extendi in futuram vitam, ne-  
que finibus ullis circumscribi. Est nimi-  
rum hoc oraculum ex genere eorum, quae  
non uno temporis momento, sed sensim  
sensimque multis delabentibus seculis  
euentum habere solent, de quarum inter-  
pretandarum iusta ratione diximus plura  
in commentatione peculiari \*). Christus  
nempe vaticinatus est, Iudeos siue *bac*  
*in vita*, siue *post obitum* suum conuictos  
fore, se esse omnium rerum dominum.  
Erat autem Iudeorum, Christi aetate vi-  
uentium, duplex genus: alterum eorum,  
qui, veritati praua et pertinaci mente re-  
sistentes, interitum sibi ipsis parabant;  
alterum eorum, qui, peccatorum poenis  
absoluti, ope gratiae diuinae felicitatem  
adepti sunt aeternam. Vtrique, siue in  
societatem malorum, siue bonorum hac  
ex vita translati sint, supremum Christi  
regimen post corporis mortem cooperunt  
agno

\*) De vaticiniorum, vniuersam aliquam tempo-  
ris periodum complectentium, iusta inter-  
pretatione. 1784.

agnoscere. Hi quidem in beatorum coelitum societate Christum venerabantur omnium spirituum imperatorem omnisque felicitatis suae auctorem, illi vero regimini ipsius subiectos se sentiebant, atque in quem antea credere, quem amare nobebant, illum iam vereri cogebantur atque cum tremore venerari. Omnes enim spiritus, siue in coelis sint, siue in mundi locis inferioribus, oportet adorare Christum dominum et cultu diuino prosequi.  
 Phil. II, 9. 10. coll. Apoc. V, 12—14.

Prima huius vaticinii parte sic expli-  
 cata, ad alteram nos conferamus, qua  
 Christus docuit, *se venturum in coeli nubi-  
 bus*. Quibus verbis primum indicasse vi-  
 detur hoc, quod supra diximus, se esse  
 illum *hominis filium*, quem vates Daniel  
 viderit apparentem et venientem in coe-  
 lis. Ex hoc Christi sermone Iudaei, sua  
 sponte, intelligebant, Iesum declarasse, se  
 esse Messiam. Alterum autem, quod his  
 verbis continetur, interpretum fere nullus  
 tetigit: illi videlicet, qui apud Danielem  
 nubi-



nubibus vectus ad Deum aeternum adducatur, traditum esse dicitur imperium vniuersale et sempiternum Dan. VII, 14. ex quo colligitur, aduentum Christi e coeli nubibus indicare *imperii sui in his terris inflationem.* Solent enim vates diuini Deum, mundi gubernatorem describere *nubibus, ventorumque alis vehentem* Psalm. CIV, 3. coll. Ezech. I, 25. 26.

Venit igitur Christus ipsiusque *regnum seu imperium*, cum gentes, euangelii luce illustratas et veritatis vi conuictas, sibi subiiceret. Ad hunc Christi aduentum referenda etiam sunt verba: *adueniat regnum tuum;* ad hunc aduentum adumbrandum Christus ipse similitudine usus est regis venientis ad occupandum imperium suum Luc. XIX, 12. Eodem ipso tempore, quo Messias euangelii sui armatura gentes vinceret, venit etiam ad *poenas de hostibus suis sumendas.* Atque hoc tertium est, quod verbis continetur hucusque a nobis consideratis. Prophetica et omnibus nota est dicendi ratio: Iouam nube vectum  
venire

venire contra gentis suae aduersarios Ies.  
 XIX, 1. ideoque Christus a Ioanne Apo-  
 cal. XIV, 14. describitur nubi insidens,  
 capite corona cinctus, angelis ad poenas,  
 prauis hominibus infligendas, mandata fe-  
 rens. Harum imaginum originem deriuam-  
 dam esse ex ipsis Dei apparitionibus,  
 valde est probabile. Saepius enim in hi-  
 storia humani generis antiquissima a Mose  
 litteris consignata, Deus Iudex descendisse  
 dicitur *a coelis in terram ad compescen-*  
*dam hominum effrenam ferocitatem Gen.*  
*XI, 5. XVIII, 21.* Ex *nube* gentem Israe-  
 liticam, ab Aegyptiis separatam, defendit  
 atque in Aegyptios emisit fulmina Exod.  
 XIV. In *nube* descendit ad iudicium ha-  
 bendum in rebelles subditos, Mosi re-  
 lucentes Num. XII, 5. Ex his aliisue lo-  
 cis nata deinde esse videtur poetarum  
 consuetudo fingendi Deum nubibus de-  
 scendeſtem in partes coeli inferiores, siue  
 ad auxilium cultoribus suis ferendum, siue  
 ad castigandos aduersarios Psalm. XVIII,  
 10. Ex his omnibus colligitur, Christum  
 verbis vaticinii sui vltimis indicasse hoc:

Z

„ſe

❧      ❧      ❧

„se poenas sumturm de hostibus suis et de-  
„fensurum aſſeclas ſuos regnique ſui fideles  
„, ſubditos.“

Stetit promiſſis imperator ſumimus non eccleſiae modo, ſed vniuersi mundi; po-  
fitis (Pſalm. CX.) in medio hoſtium regni  
ſui fundamen‐tis, ſubiecit ſibi terrae gen-  
tes atque iſularum maris incolas, hoſti-  
busque in vniuerſa Europa debellatis, im-  
perii ſui fines iam extendit vsque ad ex-  
tremas regionum oras, omnibus in poſte-  
rum comprobaturus gentibus, ſe omnium  
ſpirituum regem eſſe a Deo conſtitutum  
et iudicem.

Atque haec ipſa ſententia grauis in-  
eſſe mihi videtur verbiſ Paulli ſcriptiſ in  
epiſtola ad Ephesiſ cap. IV, 11. Do-  
cuerat enim com. 5. et 6. vnum eſſe *κυριον*  
Ieſum Chriſtum, qui pro eo, ac ſibi pla-  
ceat, dona fiſelibus aſſeclis ſuis diſtribuat.  
Scribenti autem haec Pſalmi LXXXVIII.  
in mentem vene‐runt verba quaedam, ad  
hanc Chriſti ſupremam poteftatē conſir-  
man-

mandam valde accommodata. Ideoque applicauit hoc modo ad Christi prouinciam describendam: „Adscendit in altum, liberauit captiuos, dona dedit hominibus. Cum Christus adscendisse dicitur (in coelum), quid aliud indicatur, nisi quod descenderat prius in *infima terrae loca?* Qui descendit enim, idem ille est, *qui adscendit supra omnes coelos, ut impleret omnia.*“ Sensus huius ex Psalmo petitae orationis hic esse videtur: Ea, quae Deus olim fecit et suis praestitit, cum liberaret familiam Iacobiticam ex Aegyptiorum tyrannde, admodum *similia* sunt iis, quae Christus post corporis mortem et resurrectionem, in coelum elatus, egit, suisque exhibuit. Angelus enim Dei, dux et liberator gentis suae, descendit olim, nube quasi vestitus, in maris Erythraei abyssum ad vindicandum et e mortis periculo liberandum populum; extulit se postea in montis Orebii cacumen, atque genti suae legem promulgauit; non multo post senioribus dona distribuit spiritualia. Pari modo filius Dei humana vestitus natura, dux

Z 2 gentis



gentis nouae, descendit et adscendit sub initii regni sui vniuersalis. Victis enim cruentam per mortem hostibus (Ebr. II, 14.) descendit non tantum in maris aliquius abyssum, sed in *infima terrae loca*, ad demonstrandam vim suam et in res omnes imperium; surrexit deinde et in terra declarauit discipulis suis, atque per hos omnibus terrae gentibus, „*datam sibi esse omnem potestatem in coelis atque in terra*,“ hoc est, in totius mundi vniuersitatem \*), adscendit demum nube vectus super omnes coelos in Dei sanctuarium, ut throno diuino insidens gubernaret omnia, omnia impleret vi et operatione sua, seu vbique se praesentem sisteret.

Hanc illustris huius loci summam paucis declarauimus verbis eum in finem, vt lectors ipso sensu quasi intelligant, explicationem hanc, a nobis exhibitam, auctorum s. dicendi et cogitandi rationi maxime esse conscientiam, quod, vt ultius

\*). Matth. XXVIII, 18. 1 Cor. XV, 26. 27.  
Eph. I, 29.

terius confirmetur, argumenta addamus  
sequentia.

Verba, quibus difficultatis plurimum  
inesse videtur, sunt ex commate nono:  
*κατεβη* (πρωτον) εις τα κατωτερα μερη της  
γης. *Descendit* (primum) in *infima terrae loca*. Quaenam sint haec loca, a Paullo  
*infima* appellata, ex usu loquendi hebrei-  
co defniendum esse, quis est, quin spon-  
te sua intelligat? Cum autem Paullus  
*supremas mundi partes* opponat *infimis*, vi-  
deamus, quid veteres Hebraci hac verbo-  
rum oppositione valde visitata exprimere  
soleant. — Altior Deus est *coelis*, pro-  
fundior *orco*. Iob. XI, 8. Si adscenderem  
*coelum*, tu ibi es: si in *inferno* stratum mihi  
pararem; en ades! Babyloniae rex apud  
se ipsum cogitasse dicitur: *coelum* adscen-  
dam, (*supremum arripiam in omnes gentes*  
*imperium*) at in *orcum* detrusus est. Ief.  
XIV, 12. 13. 15.

Hac etiam ratione a vate Ezechiele  
describitur interitus hostium gentis Israe-

liticae: נָתַנוּ לְמֹתָא אֶל־אָרֶץ תְּחִתָּה ad mortem detrusi sunt ad *terrae infima* (sc. loca.) Repetitur eadem iisdem verbis sententia cap. XXXII, 18. 24. \*) Has in infimas terrae partes Deus persequitur impios irae flammis seu iusta et terribili vindicta Deuteronomio. XXXII, 22. כִּי אִישׁ קָדְחָה בְּאָפֵי וּתְקִידָּה שָׁאָלָה תְּחִתָּה (Θυμος μετεπειστατησεται εως αδου κατω.

In haec inferiora mundi loca viuae detrusae esse perhibentur rebelles Koritarum &c. familiae Numeri XVI, 30. Erat autem veterum de orco notio eiusmodi, ut crederent, in inferioribus mundi regionibus esse ex altera parte paradisum seu beatarum animarum sedes, ex altera malarum igne excruciarum. Quare Iesus ipse in allegoria, qua diuitis heluonis et Lazarus conditionem post obitum diuersam (Luc. XVI.) descripsit, ad hanc cogitandi rationem attemperauit sermonem. Iam pridem vero Iacobus, filii, quem a feris dilaceratum mentiebantur fratres, mortem lugens,

\*) LXX. vertunt βοθρον, sed male.

luggens, se (quod ad animam videlicet) descensurum esse dixit ad filium in *Scheol*, seu *orcum* illum, quo proborum manes ex veterum sententia colligerentur \*). Nec Hebraeorum modo, sed et reliquarum gentium haec fuit de animis mortuorum cogitandi ratio \*\*), vt in infimis terrae partibus sedes collocarent manium.

Ex his omnibus colligitur, Paulli verba, si loquendi rationi hebraicae constanter, vt fas est, inhaereas, de alio loco intelligi non posse, quam de orco seu *inferno*, quem Iudei *Scheol* appellare solebant \*\*\*). Quomodo descenderit Christus, ab Apostolo non definitur, nec est,

Z 4 quod

\* ) Prolixius descripsimus has Iudeorum de locis mundi infimis sententias in commentationibus de psychologia sacra.

\*\*) Homer. Odyss. d. 563-569. Hef. Thg. 726. &c. vid. cel. Harlesii nostri opuscula p. 139.

\*\*\*) De descensu Christi Messiae in infernum communis erat Iudeorum traditio. Multi credebant, illum animas (Israelitarum vide-licet) ex inferno liberaturum. Vide Libr. *Emek hammelech* cap. 29.


quod curiosius exquiramus. Finis autem  
huius descensus ab apostolo exprimitur  
hoc modo: *ινα πληρωσῃ τα παντα, ut im-*  
*pleret cuncta*, quam phrasin ex loco Ierem.  
XXIII, 24. petitam esse, intuitus ipse do-  
cet et vtriusque loci comparatio: *Μη οχι*  
*τον εργανον και την γην πληρω, λεγει κυριος.*  
Haec autem verba eam habent vim, vt  
non modo omniscientiam Dei et *omniprae-*  
*fentiam* illius, seu operationem immedia-  
tam exprimant, sed et *dominium in omnes*  
*vbicunque sint homines*, quorum nullus se  
ita occultare possit, vt illum Deus non  
videat, nullus aufugere, de quo vindictam  
sumere nequeat. Hanc si ad Christum re-  
feramus sententiam, oritur explicatio ver-  
borum Paullinorum sequens: Christus, an-  
tequam coelum adscenderet, in infimis mun-  
di locis *praesentiam suam* exseruit, seu *no-*  
*tum se fecit* eum in finem, vt ostenderet  
etiam iis regionibus, se esse *dominum ubi-*  
*cunque praesentem, omnibus imperantem spiri-*  
*tibus* siue in coelis, siue in orco habitan-  
tibus. Omnes intelligent, necesse est, et  
confiteantur ad gloriam Dei patris, Chri-  
stum

stum esse summum mundi imperatorēm  
Phil. II, 9. 10. Apoc. V, 13.

Haec sententia iis, quae Petrus epist.  
I. cap. II, 19—21. docuit, adeo confor-  
mis est, ab omnibus primae ecclesiae  
doctoribus, diuersa licet ratione, tam saepe  
repetita et explicata, ut vero admodum  
similis nobis videatur. Qua in animi per-  
suasione valde confirmamur, difficultatum,  
quibus reliquae premuntur huius loci in-  
terpretationes, consideratione \*). Cum  
autem S. V. Koppe in notis ad N. T.  
editionem has diligenter recensuerit, sen-  
tentiasque interpretum, de nativitate  
Christi locum hunc explicantium, refuta-  
uerit, otium nobis fecit et eruditione sua  
explicationem nostram stabiliuit.

Nec parum confirmat animum consen-  
sus excellentissimorum Germaniae theolo-  
gorum

- \* ) Sunt nimirum, qui sentiant, *μητωτερα μεγη της γης*, esse terram ipsam; alii vte-  
rum matris his verbis innui contendunt.  
Horum sententiam S. V. Koppius confuta-  
uit; illorum opinio argumentis, supra a me  
prolatis, conuellitur.



gorum in tuenda de gloria Christi doctrina, scripturae s. consentanea. Quamuis enim non auctoritatibus, sed rationibus, ex ipso verbo Dei petitis, fides nostra nittatur; est tamen sensus quidam veritatis communis, quo ducuntur atque reguntur omnes, qui sine preeconceptis opinionibus noui testamenti libros legere solent; atqui hoc ipso veri sensu et argumentorum solidissimorum vi et efficacia conuicti, celebramus his festis diebus diuini seruatoris gloriam, atque nouum regnum nostro totiusque mundi domino spondentes obsequium, laeta erigimus spe futurae felicitatis, per fidem in ipsum adipiscendae.



---

Typis  
Ioannis Augustini Hilpert.





36 4698

vol 18

ULB Halle  
006 313 078

3





B.I.G.

Farbkarte #13



D. GEORGII FRIDERICI SEILERI

OPVSCVLA  
THEOLOGICA



COLLECTIO PRIMA.

ERLANGAE

MDCCLXXXIII.